DE SCHOLIIS IN APOLLONIUM RHODIUM QUAESTIONES SELECTAE.

DISSERTATIO INAVGVRALIS

QVAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS CONSENSV ET AVCTORITATE

IN

ACADEMIA GEORGIA AVGVSTA

AD

SVMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

LUDOVICUS DEICKE

GOTTINGENSIS.

GOTTINGAE

OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA TYPIS EXPRESSIT

MDCCCCI

De dissertatione probanda ad ordinem philos. rettulit G. Kaibel.
Examen rigorosum habitum est die XVII mens. Dec. a. MCM.

Parentibus Optimis.

Caput primum.

Scholia in Apollonii Rhodii Argonautica primum edita sunt [1]) anno 1496 Florentiae auctore, ut credunt homines docti, Johanne Lascari. Haec editio ita instituta est, ut verbis poetae typis pulcherrimis expressis scholia in marginibus ad codicum speciem addita sint. Quo codice primus hic editor usus sit, plane nescimus. Hanc editionem omnes usque ad hoc saeculum editores secuti sunt, ante omnes Henr. Stephanus. Ruhnkenius primus ad scholia recensenda alios codices adhibere studebat et integrum apographum scholiorum codicis Par. 2727 sibi conficiendum curavit, quod postea per Chr. G. Heynium G. Schaefero, cum iterum hic editionem Brunckii instauraret, traditum est. Qui vir doctus meliorem scholiorum recensionem sibi invenisse visus et apographum codicis Parisini et scholia, quae dicunt Florentina, ex Henrici Stephani editione separata expressit, quas duas recensiones postea Wellauerus, cum scholia Parisina vulgatis haud paulo esse deteriores recte intellexisset, in unum corpus coniunxit. Deinde autem Keilius, cum anno 1854 scholiorum codicum, quos adhuc novimus, longe praestantissimum, Laur. XXXII, 9, publici iuris faceret, cognovisse se putavit „unum codicem Laurentianum omnium exstare fontem manuscriptorum neque alio praeterea libro horum scholiorum memoriam ad nostram aetatem propagatam esse“. „Quaecunque igitur, ait, incrementa in his recentibus commentariis accesserunt, ita comparata sunt, ut sua sponte posterioris aetatis ingenium prodant“. Cui Keilii sententiae iam dudum viri docti adversati sunt (cf. Wilamowitzius Heracl. [2] II p. 132; Luetke Pherecydea p. 36 adn.), praeter ceteros Fitchius in extremo capite dissertationis,

1) Cf. Keilii in schol. cod. Laur. praef. Lps. 1854, et praef. G. Schaeferi in sch. Paris. Lps. 1812.

cui inscriptum est „de Argonautarum reditu" (Gott. 1896), nonnullos locos libri IV, in quibus scholia Flor. aut plura quam Laurentiana aut meliora habere videbantur, collegit et sibi persuasit „memoriam scholiorum esse duplicem".

Utrum duplex memoria scholiorum an triplex an alia sit, hanc rem potius in medio relinquimus: nam nemo adhuc praeter codicem Laur. a Keilio collatum scholiorum codices examinavit, quamquam exstare non ignoramus. Sed utrum vere huic operae pretium futurum sit recteque viri illi docti sententiae Keilii adversati sint necne, hoc etiam tribus illis [1]), quae traduntur, corporibus scholiorum accuratius comparatis nemini appariturum non esse speramus. Id primum certe Keilio concedendum est, scholia Florentina et Parisina interpolata esse. Ipse enim interpolator se prodidit in schol. ad v. III 376, in solis schol. Flor. et Par. tradito, ubi οἱ σχολιογράφοι laudantur, quod iam Luetkius l. c. monuit. Disputatur autem hoc loco, quomodo verba poetae coniungenda et intellegenda sint, unde non falso concludi posse credam,

1) Hic eos solos locos scholiorum Paris. curo, qui cum Flor. consentiunt. Ea autem scholia glossaeque, quae Merkelius e codice Guelferbytano exscripsit, maxima ex parte a codicis scriptore ex etymologico magno sumpta sunt. Nam saepissime glossae codicis Guelf. cum etym. m. ad verbum fere consentiunt, ubi ceterorum codicum communi memoria alia traduntur, non nullis etiam locis, quae in ceteris corporibus scholiorum omnino desunt, in cod. G. ex etym. m. addita sunt. Cf. e. g. sch. G. in v. I 193 = et. m. 451, 49 (θῆσσα) cum sch. Laur. et Flor. plane dissentientibus. Quin etiam corruptela etymologici m. ἐπίκλην (pro ἐπίκληρος) item in schol. G. legitur. Inspicias praeterea sch. G. I 293 = etym. m. 364, 33 aliter L.; sch. G. I 520 deest in L, cum multo brevius exstet in etym. m. 52, 99 = etym. gen., ut uberiorem, quam nos, etymologici recensionem librarius ante oculos habuisse videatur. Sch. G. I 899 = et. m. 4, 15. aliter L; sch. G. I 987 = etym. m. 816, 14 = etym. gen. aliter L; sch. G. I 1041 = et. m. 337,39; sch. G. I 1075 = schol. Laur. = et. m. 816, 6; sch. G. I 1077 = et. m. 659, 15 sim. sch. Laur., sch. G. I 1215 = et. m. 242, 22 (γόης) deest in L; sch. G. I 1226 = et. m. 338. 1 al. L; sch. G. I 1265 videtur fluxisse ex et. m. 596, 21, ubi nunc quidem breviora legimus aliter sch. L; sch. G. II 30 = et. m. 398, 37 al. L; sch. G. II 56 = et. m. 162, 49 al. L; sch. G. II 942 = et. m. 541, 33 sim. L; sch. G. II 1043 = et. m. 519, 3. deest in L; sch. G. IV 280 = et. m. 547, 45. al. L; sch. G. IV 477 = et. m. 188, 22 et multa alia, quae afferri nihil attinet.

magnam partem similium scholiorum, quae quidem non pauca in solis scholiis Flor. et Par. traduntur, ab eodem homine interposita esse; ut I 1146 (ἡ δὲ σύνταξις κατὰ μετάθεσιν); sch. II 107; sch. II 119 (ἀναφέρειν δεῖ...); sch. II 201 (συναπτέον); sch. II 456 (συναπτέον γὰρ δεῖ...); sch. II 542/3 (... ἀναφέρειν δεῖ, μετάθεσιν ποιητέον); sch. II 583 (ἀναφέρεται δὲ πρὸς τὸ...); sch. III 464 (... οὐ πρὸς τὸ... ἀλλὰ πρὸς τὸ... ἀναφέρειν δεῖ); sch. III 1319 (εἰς... ἀνενεγκτέον); sch. IV 5; sch. IV 983 (ἐπισυνάπτει). Quod genus scholiorum rarissimum est in cod. Laur., unde haec sola afferre possum, quamquam unum alterumve praeterea ibi exstare non negaverim: sch. II 372 (συναπτέον δὲ οὕτω...); sch. III 114 (ἀμφίβολος ἡ φράσις); sch. IV 271 (ἀμφιβολία περὶ τὴν σύνταξιν). Sane concedendum est non omnia haec scholia ab interpolatore aliquo, si in scholiis tractandis hoc verbo omnino uti licet, scholiis Par. et Flor. addita esse oportere: nam fieri etiam potuit, ut in communi exemplo omnium scholiorum scholia quaedam ad compositionem verborum spectantia fuerint, raro quidem in Laur. servata, saepius in reliquis scholiis. Sed cum adhuc nesciamus, utrum recte Keilius de schol. Flor. et Par. iudicaverit, an etiam haec veram antiquamque memoriam a codice Laur. non pendentem praebeant, talia scholia, qualia fortasse ab unoquoque magistello Byzantino addi potuerint, ad scholiorum Fl. et Par. fidem confirmandam nihil fere efficiunt.

Accedit aliud genus scholiorum: grammaticae verborum explicationes vulgarissimae decantataeque, ut sch. I 1348 (Μουσίδα); II 341; 550; 1237; III 955; IV 2 et alia.

Neque etiam certius iudicari potest de locis nonnullis, quibus fuse et loquaciter de consilio poetae disseritur ut e. g. in sch. I 746; 843; 979; II 390; 415; 999; quae omnia in cod. Laur. desunt, quamquam similia scholia aliis locis etiam ibi exstant.

Etiam nonnulla scholia de significatione usuque singulorum verborum in scholiis Flor. et Par. postea addita sunt, ut certe sch. F. P. II 329 (ἐφίημι-ἔφεσις) ex scholiis ad Luciani Prom. c. IV. transpositum esse Keilius recte intellexit.

Sed est quod suspicemur etiam alia gravioraque interpolata esse: nam suo arbitrio auctor scholiorum Flor. et Par., quae mendose tradita erant, mutasse et emendasse videtur. Hoc mihi e. g. schol. in v. IV 1175 indicare videtur, quod amplius quondam

fuisse Stephanus Byz. s. v. Ἀβαντίς docet: Ἀβαντίς: ἡ Εὔβοια... Καλλίμαχος δὲ Ἀμαντίνην... αὐτὴν ἔφη „καὶ Ἀμαντίνην ᾤκισαν Ὠρικίην". Ab eodem, quem Stephanus sequitur, auctore, i. e. ab Oro, petita sunt quae in etym. genuino s. v. Ἄμαντες leguntur[1]): οἱ περὶ Ἐλεφήνορα μετὰ Τροίας ἅλωσιν διέβησαν εἰς τὴν Ἤπειρον καὶ ᾤκησαν περὶ τὰ Κεραύνια ὄρη· ἔκτισαν δὲ καὶ Εὐβοίαν ⟨Ἄβαντος ἡγουμένου⟩[2]), ὅθεν Ἄβαντες ἐκλήθησαν. Recte igitur Keilius in scholio: ἡ δὲ Εὔβοια Μάκρις ἐκαλεῖτο τὸ πρότερον· ταύτην οἱ κατοικοῦντες μετὰ Ἰλίου ἅλωσιν †οἱ μὲν Ἄβαντες Ἀμαντίνην ᾤκισαν† extrema verba mendosa esse cognovit et lacunae signum apposuit. Quae verba in schol. Fl. et Par. ita mutata sunt, ut primum inspicienti sana videri possint: ταύτην οὖν οἱ κατοικήσαντες μετὰ Ἰλίου ἅλωσιν Ἄβαντες Μάκριν ὠνόμασαν, quae quam falsa sint Stephanum et etymologicum conferenti statim apparebit. Neque minus audacter schol. ad v. II 653 in FP mutatum est. Etiam hic verba in Laur. tradita vitiosa sunt: φασὶ δὲ ἐκεῖ σφαγιασθῆναι τῷ Λαφυστίῳ Διὶ καὶ μέχρι τοῦ νῦν ἕνα τῶν Φρίξου ἀπογόνων εἰσιέναι εἰς τὸ πρυτανεῖον †ἐπελθόντα τινὰ ἑκουσίως τῷ προειρημένῳ Διί†. Totum scholium ex Herodoto petitum esse videtur, qui narrat (VII 197) Ali, in oppido Thessaliae, Iovis Laphystii templum fuisse ibique Achaeos, cum, qui e gente Phrixi maximus esset natu, prytaneum intravisset, eum Iovi mactavisse. Sed videas quaeso, quae scholia Fl. et Par. hic praebeant: φασὶ δὲ ἐκεῖ σφαγιασθῆναι τὸν κριὸν (!) τῷ Λαφυστίῳ Διί. καὶ μέχρι νῦν νόμος ἕνα τῶν Φρίξου ἀπογόνων ἐπιέναι εἰς τὸ πρυτανεῖον καὶ θύειν τῷ εἰρημένῳ Διί. Similis fortasse res est in schol. I 172, ubi in cod. Laur. corrupta haec verba exstant: οὗτος ⟨sc. Αὐγείης⟩ λόγῳ ⟨γόνῳ coni. Keilius⟩ μὲν ἦν Ἡλίου, ἐπίκλησιν δὲ Φόρβαντος, quae in sch. Fl. et P. in hunc modum mutata sunt: οὗτος λ. μ. ἦν Ἡ., τῇ δὲ ἀληθείᾳ Φόρβαντος.

Sed satis his locis demonstrari videtur scholia Flor. et Par., ut nunc quidem edita sunt, a grammatico aliquo medii fortasse aevi denuo pertractata haud ita raro mutata vel interpolata esse. Plura afferre vel certius aliquid ex his locis concludere, nisi horum

---

1) Cf. Reitzensteini librum, cui inscr. Gesch. der gr. Etymologica p. 17, gl. 24.

2) Suppl. Kaibelius coll. Strab. p. 445 et schol. in B 536.

scholiorum codicibus melius cognitis usui vix esse potest. Id certe docemur, cum iam locos nonnullos, quibus fides auctoritasque scholiorum Flor. et Par. praestari videtur, proferre conabimur, cautissime nobis agendum esse, ne pro vera antiquaque memoria habeamus, quae scholiis Fl. et Par. ab interpolatore quodam addita sint. Adiuvamur autem ad singulorum scholiorum genuinam formam investigandam grammaticorum libris, qui modo scholia exscripserunt, modo isdem ac scholia exemplis utuntur, ante omnia etymologico magno, cuius codicis Vaticani (A) et Florentini (B) apographis in hac quaestiuncula uti per summam mihi Reitzensteinii liberalitatem licuit.

Schol. I 40. Tria oppida, quae Larisa appellata sunt, distinguuntur: primum Argi, quod erat vetustissimum, alterum Thessaliae, quod Acrisius condidit, tertium Troadis. De altera Larisa in Laur. vitiose haec traduntur: δευτέρα δὲ ἡ ἐν τῷ Πελασγικῷ τῆς Θεσσαλίας, καὶ Λάρισα Γυρτώνης, ἧς νῦν Ἀπολλώνιος μέμνηται, cum schol. Flor. et Par. praebeant: δευτέρα ... Θεσσαλίας, ἣν Ὅμηρος ⟨B 738⟩ Ἀργισσάν (Ἄργισσον codd.) φησι, πλησίον τῆς Γυρτώνης, ἧς ... μέμνηται. Haec a grammatico posterioris aetatis inserta esse vix credere possum, nam Hellanici, ut videtur doctrina est (cf. initium scholii Λάρισαν τὴν Θεσσαλίας λέγει ἣν ἔκτισεν Ἀκρίσιος, ἥτις ὠνομάσθη ἀπὸ Λαρίσης τῆς Πελασγοῦ, ὥς φησιν Ἑλλάνικος.) Simili fortasse memoria Eustathius nititur, qui de Argissa ad v. B 738 (p. 333, 15) tradit: κεῖται δέ φασι ἐπὶ τῷ Πηνειῷ, κτισθεῖσα ὑπὸ τῶν παίδων Λαρίσσης. Larisam prope Gyrtonam sitam etiam Strabo (IX p. 443) commemorat.

In sch. I 118 de Melampode nonnullae verborum dissimilitudines inter L et FP intercedunt. Nam in schol. Laur. refertur Melampodem apud Polyphantem regem olim deversatum anguem a ministris regis necatum sepelivisse: βοὸς δὲ αὐτῷ (sc. Polyphanti) τεθυμένου δράκοντος ἀνερπύσαντος παρὰ τὸ θῦμα, διαφθεῖραι αὐτὸν τοὺς θεράποντας τοῦ βασιλέως· τοῦ δὲ βασιλέως χαλεπήναντος Μελάμποδα λαβεῖν καὶ θάψαι, quae quidem similiter apud Apollodorum I 96 (ed. Wagn.) narrantur, nisi quod Polyphantes et sacrificium ab eo factum non commemorantur. In schol. FP. haec mirum in modum confusis subiecti et obiecti accusativis depravata sunt: θύοντος δὲ ἐκείνου δράκων ἀνερπύσας κατέφαγε τὸν θεράποντα· ἀναιρεθεὶς δὲ ἐτάφη ὑπὸ Μελάμποδος.

Sed tamen non omnem auctoritatem hic scholiis Fl. denegaverim, cum verba: Φωραθέντα δ'ἐπὶ κλοπείᾳ τῶν βοῶν Ἰφίκλου τοῦ Φυλάκου καὶ συλληφθέντα ὑπ' αὐτοῦ τὸν Μελάμπουν non fortuito cum Apollodori φωραθεὶς δὲ ἐπὶ τῇ κλοπῇ δέσμιος ἐν οἰκήματι ἐφυλάττετο convenire credam, pro quibus in Laur. similiterque in Par. haec leguntur: διόπερ (?)[1]) κλέπτοντα αὐτὸν τὰς βοῦς εἰς Αἴγιναν τὴν πόλιν περιληφθέντα δεθῆναι. Itemque quae sub finem schol. F et P adduntur: ὁ δὲ Ἴφικλος... Μελάμποδα αἰδεσθεὶς ἀπέλυσεν ἐπιδοὺς αὐτῷ τὰς βοῦς, ἃς ἀφίκετο κλέψαι, vera rectaque esse videntur. Notandum etiam est in schol. Apollonianis tradi Iphiclum ipsum in aedibus, quarum ruinas Melampus praedixerit, habitasse, cum alibi tantum de carcere Melampodis res sit (cf. schol. λ 287 e Pherecydis libro VII; schol. Theocr. III 45; utrumque locum Eustathius (p. 1685, 28) adhibuit; cf. praeterea Apollod. bibl. I 96).

Schol. I 409. Cum in cod. Laur. explicatio, quam ad vocem οὐλοχύται pertinere nemo non videt (cf. etym. m. 641, 29; Apoll. S. 124, 15; Kaibel. Com. gr. v. I ad Dinolochi fr. 13), voci χέρνιβα ascribatur, in FP. recte ad οὐλοχύτας refertur, simulque ad χέρνιβα additur: οἷς τὰς χεῖρας νίπτουσιν.

Sch. I 554. Chironem filium Ixionis esse in schol. secundum Suidae Thessalica traditur, quibus verbis in schol. Fl. et Par. haec subiunguntur: ὥσπερ καὶ τοὺς ἄλλους Κενταύρους. De Centaurorum ortu variae fabulae apud poetas narrantur (cf. Diod. IV 69, 70), inter quas haec quod Ixionis fuerint filii, idemque narrat Hyginus in f. LXII „Ixion Leontei filius conatus est Iunonem comprimere. Iuno Iovis iussu nubem supposuit, quam Ixion Iunonis simulacrum esse credidit. ex ea nati sunt Centauri" [2]).

Sed adhuc fortasse, siquis Keilii sententiae faveat, mihi opponet: fieri sane potuisse ut interpolator ille ipse Homerum, Apollodorum, Diodorum, etymologica adierit, unde scholia compleret. Fit autem certior schol. Fl. et Par. auctoritas in sch. I 566. Nam quae in Laur. leguntur: ἐπ' ἰκριόφιν: τὸ ἴκριον τοῦ ἱστοῦ μέρος.

---

1) Fortasse schol. multo auctius fuit, cf. Apollod.

2) Neque igitur Bethio assentior, qui putat (Quaest. Diod. p. 56) neglegentia Diodori eademque Hygini factum esse, ut tradant non unum filium Centaurum, sed Centauros ex Ixione ortos esse, cum hic tertium testem deprehendamus.

φησὶ δὲ Ἐρατοσθένης ἐν τῷ Ἀρχιτεκτονικῷ ἱστὸς πτέρνη καρχήσιον θωράκιον ἠλακάτη κεραία ἴκριον τὰ δὲ ἄκρα ἀκρόκερα vitiosa esse per Pollucem (I 91 cf. Bethium in h. l.) docemur, qui ἀκροκέραια extremas partes antennae appellat: τῆς δὲ κεραίας τὸ μέσον τὸ κατὰ ἱστὸν ἄμβολα, τὰ δὲ ἑκατέρωθεν συνέχοντα ἀγκύλαι, τὰ δὲ πολευταῖα ἀκροκέραια· recte igitur Keilius ἀκρόκερα in ἀκροκέραια mutavit signumque lacunae apposuit. Quid autem quod in schol. Fl. et Par. haec invenimus: ἴκριον δὲ οἱ μὲν μέρος τοῦ ἱστοῦ λέγουσι, βέλτιον δὲ νοεῖν ἴκριον τὴν καλουμένην κεραίαν, ἧς τὰ ἄκρα ἀκρότερα (ἀκρόκερα P.) λέγονται· λέγεται δὲ ἴκρια καὶ τὰ σανιδώματα οἷς οἱ πάσσαλοι πρόσκεινται? Nullo modo persuadere mihi possum grammaticum ullum Byzantinum hanc lacunam vidisse et e lexico aliquo, quae in F et P leguntur, inseruisse. Verba Eratosthenis in FP paulo post collocata sunt. ἴκριον autem de antenna dici in lexicis nisi fallor non traditur, sed Eustath. p. 1037,35 ad O 675 monet ἐπίκριον a nonnullis antennam appellari.

Ad sch. I 587 Keilius in praef. adnotat: „pauca etiam ex grammaticorum commentariis petita novae recensionis conditores interposuerunt, velut I 587 etymologici copias“. Agitur enim de ratione, quae inter sacrificia superorum et inferorum intercedat: ἔντομα inferorum hostias appellari, διὰ τὸ ἐν γῇ αὐτῶν ἀποτέμνεσθαι τὰς κεφαλάς. Altera autem vocis explicatio in schol. Flor. adiungitur: ἄλλοι δὲ ἔντομά φασιν τοῖς τεθνεῶσιν ἐνάγιζον, ὡς ἄγονα ἀγόνοις· τοῖς δὲ οὐρανίοις θεοῖς ἔνορχα ἔθυον, et sim. in sch. Par.: τὸ δὲ ἔντομα ἤγουν εὐνοῦχα δὲ τοῖς τεθνηκόσιν ἐνάγιζον. Utramque explicationem etiam etym. gen. = etym. m. 345, 24 s. v. ἔντομα praebet: τὰ τοῖς κατοιχομένοις θυόμενα. ἐκτέμνεται γὰρ τούτοις ὁ τράχηλος, τὰ δὲ τοῖς οὐρανίοις θεοῖς ἀνακλᾶται· ἢ ἔντομα τὰ εὐνουχισθέντα τῶν προβάτων· τοιαῦτα δὲ ἔθυον τοῖς νεκροῖς διὰ τὸ καὶ αὐτοὺς εἶναι ἀγόνους „καί μιν κυδαίνοντες ὑπὸ κνέφας ἔντομα μῆλα“ (I 587) et fere eadem s. v. χύτλα: οἷον „χύτλα τέ οἱ χεύαντο καὶ ἥγνισαν ἔντομα μήλων“ (Π 926). χύτλα κυρίως τὰ μεθ' ὕδατος ἔλαια· Καλλίμαχος „χύτλων ἀντιασάντων“ [1]) ἔντομα μήλων τὰ εὐνοῦχα (ευνοῦ^χ codd.).

1) Novum igitur hic frgm. Callimachi recuperamus, sed cum Millerus p. 512 verba ἔντομα μήλων ad Callimachi versum rettulerit neque totum locum exscripserit, viri docti in errorem se abripi passi

ταῦτα μάλιστα ἀπέθυον (μάλιστα ἔθυον A) τοῖς νεκροῖς ὡς ἄγονα ὄντα καὶ αὐτοῖς ἀγόνοις οὖσιν (cf. etym. m. 816, 6); utraque etymologici glossa certe ex schol. Apoll. excerpta est, ut mirer Keilium, quod adducere nos conatur, ut, quae ab initio in scholiis fuerint, postea fortuito omissa ex alio libro in eodem, quo fuerant antea loco, interposita esse credamus. Sch. I 624. Etiam hic locus, quamquam de paucis tantum verbis res est, ad singularum scholiorum recensionum fidem aestimandam aliquid usus affert: Oenoeam insulam postea Sicinum appellatum esse ἀπὸ Σικίνου τοῦ υἱοῦ Θόαντος καὶ νυμφης Οἰνοίης in Laurentiano . . . ἀπὸ Σ. τ. ὑ. Θ. καὶ Νηΐδος νύμφης in FP. traditur. Utrumque scholium partem genuinae scripturae servasse etymologico gen. = et. m. 712, 48 optime demonstratur: μετωνομάσθη δὲ ἀπὸ υἱοῦ Θόαντος Σικίνου καὶ νύμφης Οἰνόης Ναΐδος[1]. Ἀπολλώνιος (ναΐδο codd.) In sch. I 789 res similiter se habere videtur; ubi προστάδα in L, παστάδα in etym. gen. = et. m. 655, 45, προπαστάδα, ac recte quidem ut videtur, in FP. scriptum est.

Sch. I 940. In Laur. legitur: ἰσθμὸς δὲ καλεῖται ὁ ἐξ ἀμφοτέρων τῶν μερῶν θάλασσαν ἔχων τόπος . . . πορθμὸς δὲ ἡ ἐξ ἀμφοτέρων γῆ ἔχων ubi Keilius ὁ pro ἡ correxit, sed vera sunt, quae sch. F. et P. praebent: . . . πορθμὸς δὲ ἡ ἐξ ἀμφοτέρων τῶν μερῶν γῆν ἔχουσα στενὴ θάλασσα. Fidem facit etym. gen. s. v. ἰσθμός . . . πορθμὸς δὲ στενὴ θάλασσα μεταξὺ δύο γαιῶν, quae quidem non e schol. Apln. sed ex Herodiano exscripta sunt (οὕτως Ἡρωδιανός· sim. et. gen. s. v. πορθμός)· schol. I 1159 ταῖς χερσί τι πράττειν LP., sed τὸ βιαίως τ. χ. πραττόμενον in Flor. et in etym. gen. = et. m. 408, 29. Ex schol. in v. I 1266 in etym. gen. (cf. et. m. 328, 28) haec excerpta sunt: ἐλεσπίδος: „πείσεά τε προλιπὼν καὶ ἐλεσπίδας“ (I 1266). πείσεα οἱ κάθυγροι τόποι. ἐλεσπίδας δὲ οἱ μὲν τοὺς συμφύτους τόπους, οἱ δὲ τοὺς ἐλώδεις, ἄμεινον δὲ τοὺς πετρώδεις (sic B; πατρώδεις A; λεπώδεις et. m.) παρὰ τὸ λελεπίσθαι ὑπὸ τῶν ἀνέμων ἢ ὑπὸ τῶν κυμάτων· ὅθεν

---

versum efficere variis modis conati sunt, cf. Schneider, Callimachea II p. 636, frustra quidem, ut nunc videmus, nam verba ἐντ. μηλ. et q. s. ex schol. Apoll. deprompta sunt.

1) Kaibelius fortasse καὶ νύμφης Οἰνηΐδος scribendum esse suspicatur, cum etiam hoc eius nomen traditum sit: schol. Theocr. I 3. Ceterum cf. sch. Apln. II 990: Ἁρμονία νύμφη Ναΐς·

καὶ λέπα τὰ ἀκρότατα τῶν ὀρέων. Εὐριπίδης „καὶ Κιθαιρῶνος λέπας" (Phoen. 24). Scholia in codicibus tradita haec sunt:

Laur.	Flor.
πίσεά τε προλιπὼν καὶ ἑλεσπίδας: οἱ μὲν τοὺς συμφύτους τόπους, οἱ δὲ τοὺς πετρώδεις παρὰ τὸ λέπεσθαι ὑπό τε τοῦ ἡλίου καὶ ἀνέμου καὶ ὑετοῦ· ὅθεν καὶ λέπα τὰ ἀκρωτήρια τῶν ὀρῶν. Εὐριπίδης „καὶ Κιθαιρῶνος λέπα".	πίσεα: τοὺς συμφύτους ἢ ἑλώδεις καὶ πηλώδεις τόπους. ἑλεσπίδας· τινὲς τοὺς ἑλώδεις καὶ πηλώδεις τόπους, ἄμεινον δὲ τοὺς πετρώδεις παρὰ τὸ κ. τ. λ. ut in Laur.

Scholium Par. paulum mutatum plerumque cum Flor. consentit. Videmus igitur primum in exemplo scholii Flor. ut in etym. m. vocis πίσεα explicationem fuisse, quam quidem praeter lemma librarius omisit eiusque loco verbi ἑλεσπίδας explicationem repetiit, cum in Laur. etiam lemma πίσεα desit; deinde vocis ἑλεσπίδας alteram explicationem ἑλώδεις καὶ πηλώδεις sicut in etym. gen. servatam esse, quae in Laur. omnino excisa est; postremo in schol. Flor. eodem modo quo in etym. gen. tertiam vocis explicationem adiunctam esse: ἄμεινον δὲ..., cum in schol. Laur. librarius a voce ἑλώδεις vel πηλώδεις ad simillimam πετρώδεις oculis aberraverit quaeque interposita erant omiserit. Certe igitur in scholiis Flor. vera et antiqua forma scholii accuratius quam in Laur. servata est, nam cum hic duae tantum explicationes vocis ἑλ. exstent, illic etiam tertiae, quam etym. gen. praebet, vestigia habemus.

In sch. I. 1280 sub finem, ubi de v. περάτη agitur, scholia Flor. et Par. haec subiungunt: λέγεται δὲ κυρίως ἡ ἀνατολή. πέρας γὰρ αὕτη τῆς τοῦ οὐρανοῦ κινήσεως. ἐκεῖθεν γὰρ ἄρχεται καὶ εἰς αὐτὴν τελευτᾷ. Etiam hic collato etymologico gen. s. v. χαροπός similia in antiquis scholiis fuisse, quae Laur. scriptor omiserit ostenditur: etymologus enim e scholiis Apln. exscripsit: Χαροπός: περιχαρής, εὐόφθαλμος, ἐξ οὗ χαροπὴ παρὰ Ἀπολλωνίῳ „ἦμος οὐρανόθεν χαροπὴ ὑπολάμπηται ἠὼς ἐκ περάτης ἀνιοῦσα" I 1280 s.). διαλάμπουσιν. ἐξ οὗ γλαυκῶπις ἡ Ἀθηνᾶ „γλαύσσουσι δ' ἀταρποί" (I 1280) [1]). περάτη νῦν μὲν ἡ ἀνατολή. δύναται δὲ καὶ

1) Verba γλαύσσουσι δ'ἀταρποί post ἀνιοῦσα ante διαλάμπουσιν collocanda sunt.

ἐπὶ τῆς δύσεως καὶ ἐπ' ἄρκτου καὶ μεσημβρίας περάτη λέγεσθαι. [add. hic cod. B: ἑκάστη γὰρ τούτων ἀντικρὺ γωνίας τῆς ἄλλης τοῦ οὐρανοῦ κειμένη περάτη] καὶ τέλος. Eadem fere omisso codicis Marciani supplemento in etym. gen. s. v. γλαύσσουσιν exscripta sunt. Cf. etym. m. 807, 31; 233, 19.

In sch. I 972 de v. ἴουλος in Eratosthenis versibus πυλεῶνος legitur in F, etym. gen. et apud Tzetzam in Lycophr. 23, πετεῶνος in LP, ἐλεῶνος in etym. m. 472, 21.

De sch. II 516 ubi sub finem verba: τοὺς Κᾶρας ἐξελάσας in FP subiunguntur, quae item apud Thucydidem (I 4), unde totum schol. petitum est, exstant, itemque de scholio in subsequentem versum II 597, ubi, quod FP Sirii veriloquium interposuerunt: ἢ διὰ τὸ τείρειν τὸ δαμάζειν, in Laur. deest, certius iudicare non audeam, praesertim cum utrumque scholiorum Fl. supplementum etiam in etym. gen. = etym. m. 710, 25 desit.

Sch. III 532. In scholio Laur. duodecim, quos dicunt, dei quibus Argonautae apud Phineum deversantes aram fecerunt, sic enumerantur: Ζεύς, Ποσειδῶν, Ἅιδης, Ἑρμῆς, Ἥφαιστος, Ἀπόλλων, Δημήτηρ, Ἑστία, Ἄρης, Ἀφροδίτη καὶ Ἀθηνᾶ. Apparet igitur unam deam, cum undecim tantum appellentur, omissam, praeterea unius dei nomen, cum septem dei, quinque deae enumerentur, corruptum esse. Sanantur haec menda collatis schol. Flor. et Par., ubi Iunonis nomen additur, pro Plutone Diana dicitur, hoc quidem ordine: Ζεύς, Ἥρα, Ποσειδῶν, Δημήτηρ, Ἑρμῆς Ἥφαιστος, Ἀπόλλων, Ἄρτεμις, Ἑστία, Ἄρης, Ἀφροδίτη καὶ Ἀθηνᾶ. In exemplo igitur codicis Laur., ut Kaibelius mihi demonstravit, Ἄρης pro Ἅιδης et Ἄρτ(εμις) pro Ἄρης fuisse videtur, eo quidem ordine, ut primum mares deinde feminae enumerarentur, cum scholiorum FP auctor paria deorum dearumque coniungere voluisse videatur[1]).

Versui III 1231 in FP hoc scholium in Laur. omissum, ascriptum est: πολύρρινον σάκος τὸ πολύβυρσον, quod antiquum scholium esse etymologico gen. docemur, ubi s. v. εὔρρηνος laudato Apollonii v. III 1086 haec sunt: πολύρρινος δὲ ὁ πολυδέρματος, τὸ ἐκ πολλῶν βυρσῶν κατεσκευασμένον. „ἂν δὲ πολύρρινον νῶμα σάκος, ἂν δὲ καὶ ἔγχος" (III 1231).

1) Optime ad hunc indicem monumenta araeque XII deorum nobis servata quadrant. Cf. Welcker, Griech. Götterlehre II 168; Preller, Griech. Myth. p. 110.

Sch. ad v. IV 280 de v. κύρβεις: In FP haec verba adduntur: οἱ δὲ ἀκριβέστεροι ἄξονας καὶ τετραγώνους λίθους, κύρβεις δὲ τριγώνους. ἐν ἀμφοτέροις δὲ νόμοι ἦσαν γεγραμμένοι Ἀθήνησιν (cf. Fitch. l. c. p. 73). Grammaticorum locos, qui de hac voce egerunt, collegit et pertractavit Prellerus in libro de Polemonis periegetae fragmentis (p. 87 ss.).

De scholio IV 308 recte iam Fitchius iudicavit, duplex scholium, quod in Flor. habemus, in Laur. in unum esse contractum. Accedit ad scholii Fl. auctoritatem confirmandam, quod eadem verba, quae in altera parte scholii Flor. leguntur, ἀπὸ Ἰονίου ἀ ν δ ρ ὸ ς Ἰλλυρίου, etiam in simillimo scholio ad Pind. Pyth. III 20 exstant (τὸ γένος Ἰλλυρίου in L et scholii Flor. prima parte).

Sch. IV 425. Νάξος falso in versu Callimachi in Laur. scribitur; Νάξῳ recte in FP; etym. gen. = et. m. 266, 47.

Sch. IV 524. Post Ὕλλου: καὶ Ἡρακλέους addiderunt sch. Fl. et P, quae recte se habere demonstratur etymologico gen. s. v. Ὑλλήων (cf. et. m. 776, 38), ubi scholium Apoll. exscriptum est: Ὑλλήων: . . . (afferuntur Apollonii vv. 521 et 524). ἔστι δὲ ἔθνος Κελτικῆς (?) Ὑλλεῖς ἀπὸ Ὕλλου βασιλέως αὐτῶν ὡς οὐ (lege υἱοῦ vel ὠνομασμένου τοῦ) Μελίτης καὶ Ἡρακλέους. Eadem ex Oro Stephanus Byz. s. v. Ὑλλεῖς excerpsit (cf. schol. in Apoll. IV 1125).

Schol. in v. IV 611 corruptum esse nemo non videt; sed quamquam schol. Fl. et P. meliora praebere videntur (cf. Fitchium), tamen valde dubito, num veram scripturam habeant, cum nihil ibi dicatur, quin e verbis poetae assumpto scholio Laur. repeti potuerit.

Sch. IV 825. Antiquae fabulae, quae apud poetas de Scylla et Charybdi narrabantur, pro posterioris aetatis incredulitate hic naturalibus quibusdam rebus declarantur. In schol. Laur. de hac re praeter alia haec sunt: δοκεῖ δὲ ἡ Σκύλλα παρὰ τοῖς ποιηταῖς ἔχειν κύνας ἐξέχοντας ἀπὸ τῶν πλευρῶν. deinde in FP additur: καὶ τοῦ στήθους καὶ ἀναιρεῖν τοὺς δι' αὐτῆς πλέοντας, ἐπεὶ κάτωθεν ἐκ τῶν κοίλων μερῶν τῶν πετρῶν, ἐφ' ὧν μένουσιν ἄνω ἀνιόντες, ὑπονοοῦνται καὶ ὁρῶνται ὡς ἐξιόντες ἐκ τοῦ στήθους αὐτῆς ἔσωθεν καὶ τῶν πλευρῶν, quae interpolatori vix attribuam[1]).

1) Eundem, quem scholiasta Apollonii, Sallustius in hist. IV secutus esse videtur, qui locus servatur apud Serv. in Verg. Aen. III 420 (p. 417) (frgm. 36 ss. Kr; 21 ss. D).

Sane concedendum est μένειν verbum pro οἰκεῖν adhibitum, ut Kaibelius monuit, novicium esse.

De sch. IV 984 Fitchius rem confecit.

Sed aliter sentio de sch. IV 1216, ubi de Timaei verbis res est. In scholio enim Laur. haec leguntur: Τίμαιος δέ φησι . . . Χερσικράτη ἀπόγονον Βαχχιαδῶν κατῳκηκέναι τὴν νῆσον, in schol. Flor. et Par. . . . Χερσ. ἀπόγ. Βαχχ. εἴτε ἐκπεσόντα τὴν Κορίνθου εἴτε καὶ ἑκόντα ἀπελθεῖν διὰ ἀτιμίαν καὶ κατῳκηκέναι τὴκ νῆσον. Quod supplementum genuinum non est, sed ab homine aliquo insertum, qui in scholiis describendis intellexerat discrepare inter se ea, quae sub finem scholii IV 1212 οἱ δὲ Κορίνθιοι . . . ἐξέβαλον τοὺς Βαχχιάδας et quae in solo cod. Laur. in extremo scholio ad v. 1216 traduntur: ἔστι δὲ ὁ τὴν ἀποικίαν ἀγαγὼν . . . Χερσικράτης ἀποστερούμενος τῶν τιμῶν ὑπὸ Κορινθίων. Neque enim raro fit, ut, cum bis de eadem re in schol. Laur. agitur, haec in sch. Fl. et P. contracta sint (cf. e. g. sch. I 932, III 200 et alia).

De scholio IV 1396 iam Wilamowitzius (Heracl. ²II p. 132) monuit verba χαίρειν εἰπὼν τῷ Ἄτλαντι, quae tantum in schol. Fl. et P. exstant, ipsa verba Pherecydis esse.

In sch. IV 1515 collato Apollodoro (II 34 ss.), ut Fitchius demonstravit, nonnullis locis fidem editionis principis et schol. Par. quam Laur. meliorem esse videmus. Addi possunt etiam verba in Laur. omissa δεικνύουσιν ἐν τῷ κατόπτρῳ τὴν Μέδουσαν, quae similiter apud Apollodorum exstant: καὶ βλέπων εἰς ἀσπίδα χαλκῆν δι' ἧς τὴν εἰκόνα τῆς Γοργόνος ἔβλεπεν. Neque postremo interpolatoris esse possunt, quae FP in schol. ad v. IV 1780 tradunt de Opunte: τοῦ Διὸς υἱοῦ καὶ Πρωτογενείας, οὗ καὶ ἡ πόλις ἐπώνυμος (cf. schol. in Pind. Ol. IV 62), ubi in Laur. nihil nisi: τὰς ὑπὸ τοῦ Ὀποῦντός ποτε περιεχομένας.

Omnes hos locos perlustranti dubium futurum non esse confido, quin Keilius, cum primus e codice Laur. scholia ederet, nimio studio ultra quam debebat processerit et de auctoritate scholiorum Flor. et Par. erraverit. Quae cum ita sint fortasse nunc etiam de aliis quibusdam locis, ubi scholia Flor. et Par. aut plura aut meliora quam Laur. praebent, paulo aequius iudicabimus neque haec omnia interpolata esse credemus, velut in sch. I 74, ubi πρώτην ναῦν γεγενῆσθαι μακράν legitur in FP omissa voce μακράν in Laur. (itemque in simili schol. in Eurip. Med. v. 1).

Sch. I 67. οἱ δέ φασι Ξυνιάδα εἰρῆσθαι διὰ τὸ ξυνὸν εἶναι τὸ κοινόν. ταύτην δὲ κοινὴν εἶναι Θεσσαλίας καὶ Βοιωτίας scholia Flor. et Par. rectius quam Laur. habere videntur.

Sch. I 188. De Ancaeo in Flor. dicitur: βαρὺς ἐπέκειτο τοῖς οἰκέταις, quae verba desunt in LP.

Sch. I 224. in sch. FP post κατέλιπεν additur: αὐτὸν ἄοπλον ἐν τῷ Πηλίῳ, quibuscum conferas Apollodori bibl. III 167, ubi narratur Acastum Pelei gladium in fimum abdidisse: ἀποκοιμηθέντος δὲ αὐτοῦ ἐν τῷ Πηλίῳ, ἀπολιπὼν Ἄκαστος καὶ τὴν μάχαιραν ἐν τῇ τῶν βοῶν κόπρῳ κρύψας ἐπανέρχεται. Neque fortasse similitudo verborum, quae exstant in schol. Flor.: κατηγόρει ὡς πειραθέντα αὐτῆς, cum Apollodori (III 165) λέγουσα ὑπ' αὐτοῦ περὶ συνουσίας πεπειρᾶσθαι, fortuita est, pro quibus in Laur.: ὅτι ἤθελεν αὐτῇ συνελθεῖν leguntur, similiaque in sch. Par.

Sch. I 242. recte, ut videtur, ὅτι αὕτη πρώτη ἐκλήθη Ἀχαία in FP legitur.

Sch. I 264. in voce ἐντυπάς explicanda versus Homeri Ω 163 in FP affertur.

Sch. I 403. ἔνθεν καὶ νηδὺς καὶ ναῦς interposita voce νηδύς in schol. Fl. et P., cuius veriloquium in commentariis grammaticorum saepius cum veriloquio vocis ναῦς coniunctum profertur (Cram. An. O. II 395, 5; etym. m. 604, 57; 598, 13).

Sch. I 551. verba: ἀφ' οὗ Ἴτων πόλις καὶ Ἰτωνίς Ἀθηνᾶ in Laur. desunt.

Sch. I 763. (ζητητέον δὲ τί βούλεται αὐτῷ ταῦτα τὰ ποικίλματα) sub finem in FP plenius est quam in L.

Sch. I 882. Defensio poetae (πρὸς τοὺς ἐπιλαμβανομένους τῆς παραβολῆς . . . ῥητέον . . .) in Laur. deest.

Sch. I 955. Scholia FP addunt haec verba in Laur. omissa: ὀλίγον λίθον τὸν μικρὸν ἔφη, ὡς καὶ Ὅμηρος „ὀλίγην τραπέζην" καὶ Θεόκριτος „ὀλίγον κοῦρον" ⟨I 47⟩.

Sch. II 65. τὸ ᾔδειν ἀντὶ τοῦ πληθυντικοῦ κεῖται, τὸ ᾔδεσαν. ὡς καὶ τὸ „τῆς δ' ἦν τρεῖς κεφαλαί" ⟨Hes. Theog. v. 321⟩ in Laur. deest.

Sch. II 159. διὰ τὸ θυμηδὲς τῆς τριμεροῦς ψυχῆς in sch. Flor. De anima tripartita cf. Aristot. περὶ ψυχῆς, Suid. s. v. ψυχή, qui Damascium (Phot. Bibl. 1032 R) exscripsit.

Sch. II 285. de Calydnis insulis Lycophron in FP laudatur:

εἰ καὶ Λυκόφρων ἄλλας νήσους Καλυδνάς. Cf. Lycophr. Al. v. 25 et Tzetzam ad h. l.

Sch. II 397. in FP plenius est quam in Laur.

Sch. II 326. In FP haec explicatio vocis πείρειν, quae in Laur. deest, invenitur: π. δὲ ἐνταῦθα μὲν τὸ διαπλέειν καὶ διαπερᾷν ὡς τὸ „ἀλγεινά τε κύματα πείρων" (Ω 8). ἀλλαχοῦ δὲ καὶ τὸ διατρυπᾶν „σπλάγχνα τ' ἀρ' ἐμπείραντες". Cf. etym. m. s. v. πειραταί.

Sch. II 343. de v. ἀνάρσιος in Laur. deest (cf. Apoll. Soph. 32, 10; etym. m. 98, 51).

Sch. II 548. De Ponti Euxini nomine scholium in FP traditur in Laur. omissum (cf. etym. m. 394, 48).

Sch. III 200. verba Μηδείαν δὲ νεωτέραν μὲν Κίρκης οὐχ ἡττωμένην δὲ αὐτῆς in Laur. desunt.

Sch. III 1244. sub finem in FP versus Pindari (P. IV 246) subiungitur: Πίνδαρος· καὶ Ποσειδῶνος Πετραίου.

Sch. IV 111. verba „περὶ γὰρ τὸν τοιοῦτον καιρὸν αἱ αὖραι πνέουσιν" in FP genuina esse videntur. Conferas praeterea etym. gen. = etym. m. 14, 38, ubi verba τὸ καλούμενον λυκόφως sicut in FP exstant, cum aliter in Laur. legatur.

Sch. IV 135. Cum in Laur. Καυκασία θάλασσα pro mari Caspio accipiatur, in FP altera explicatio accedit: βέλτιον Καυκασίαν θάλασσαν νῦν τὸν Εὔξεινον νοεῖν . . .

Sch. IV 1217. verba Τίμαιος] δὲ ἐν Κερκύρᾳ λέγων γενέσθαι e schol. ad v. IV 1153 huc transposita esse credo (aliter Fitchius), sed fortasse βωμοὺς δέ φησι vera scriptura est.

Sch. IV 1779. de Aulide Boeotiae in Laur. deest.

Sed haec sufficiant ad demonstrandum scholia Florentina et Parisina ex ipso codice Laurentiano descripta esse non posse. Certius autem, quo modo cum Laur. cohaereant, et quae ratio inter ipsa scholia Fl. et P. intercedat, nisi codicibus collatis adhuc definiri non potest. Id sane iam eis locis, quos protulimus, ne dicam de aliis sescentis, ubi minoris momenti scripturae, quin etiam vitia, scholiis Flor. et Par. communia sunt (cf. e. g. I 498; 1126; IV 284), apparet, has duas recensiones artiore quadam necessitudine inter se coniunctas esse. Contra vero non raro fit, ut scholia Par. cum Laur. conveniant, ubi editio princeps alia praebeat. Ceterum de scholiis Par. dicendum est ubique in eis

vestigia grammatici recentioris exstare, qui ea retractaverit et commutaverit. Semper fere verba mutata, saepe complura scholia in unum contracta, permulta omissa, nonnulla addita sunt. Vix igitur his additamentis fidem habebimus, etsi nonnulla sane vera et genuina esse possunt, ut ad v. I 202 de duabus Olenis annotatio, in LF vitiosa, vel in v. II 1052: Στύμφηλος υἱὸς Λυκάονος, καὶ Στύμφηλος ἀπ' αὐτοῦ πόλις ἐν Ἀρκαδίᾳ.

Caput secundum.

Scholia Apolloniana vel qualia ad nostrum tempus pervenerunt qui volvit, lectissimam doctrinam grammaticorum industria ibi congestam admodum admiratur. Multo autem magis antiquis grammaticis scholiorum copiae, priusquam per tot saecula in describendo contraherentur et corrumperentur, exoptatae erant, quibus proprios scilicet libellos exornarent. Ac profecto a permultis usque ad Byzantinam aetatem haec scholia expilata sunt. Quam scholiorum memoriam, quae sane diligenter colligenda est, Keilius in editione, sicut ceteros codices plane neglexit, ad scholia emendanda et supplenda perraro adhibuit.

Sic saepissime Orum in libro περὶ ἐθνικῶν scholia Sophoclis grammatici exscripsisse scimus [1]). Cuius libri reliquiae praecipue apud Stephanum Byz. et in etymologicis servantur. Etiam auctor scholiorum in Dionysium Periegetam, in quibus saepe Apollonius affertur, cum ipso carmine scholiis usus esse videtur. Conferas e. g. schol. in Dion. P. 775 de Sinopa cum schol. in Apoll. Rh. v. II 946. Qua de causa de commentario Eustathii in eundem poetam dubitari potest, utrum, quae vestigia scholiorum Apollonii ibi exstant, ex ipsis scholiis Apolln. sumpta sint an antiquis scholiis in Dion. P. debeantur. Praeterea nonnulla etiam per Stephanum Byz. et per etymologicum, quibus Eustathius usus est, ex scholiis Apollonii in eius commentarios pervenisse possunt. Inspicias enim, quaeso, quae de voce ῥόμβος ab Eustathio ad Dion. Per. v. 1134 et quae in Odysseae v. α 32 (p. 1387, 43) adnotantur, quibuscum conferas et scholia in Apollonii vv. I 1139 et IV 143 et etym. gen. sub vocibus ῥυμβόνας et ῥυμβῷ = etym. m. 706, 20 et 706, 25.

---

1) Cf. Lentz, Herod. rell. praef. p. 223 ss.; Warnkross, de paroemiographis Graecis. Diss. Gryph. 1881 in sentent. contr.; Reitzenstein, Gesch. der griech. Etym. passim.

Eust. in Odyss. 1387, 41	et. gen. = et. m. 706, 25	Eust. in D. P. 1134	schol. in Apoll. Rh. I 1139
	ῥυμβῷ· οἷον „ῥυμβῷ καὶ τυμπάνοις Ῥείην Φρύγες ἱλάσκονται“ (I 1139)		
οὕτω δὲ καὶ ῥυτὴρ βρυτήρ, χάλινος. ὁ δὲ αὐτὸς καὶ τρόχισκον δηλοῖ τὸν καὶ ῥόμβον καλούμενον, ὃν τύπτοντες ἱμᾶσι καὶ στρέφοντες ἐποίουν δινεῖσθαι καὶ ψόφον ἀποτελεῖν. Εὔπολις δέ φασι ῥύμβον αὐτὸν εἶπε διὰ τοῦ υ ψιλοῦ.	ἔστι δὲ τρόχισκος ὃ τύπτοντες ἱμᾶσι καὶ στρέφοντες ποιοῦσι περιδινεῖσθαι καὶ ψόφον ἀποτελεῖν· ῥύμβον δὲ αὐτὸν Εὔπολις εἶπεν. καλεῖται δὲ καὶ βρυαστήρ· Ἀπολλώνιος.	ἔστι δὲ ῥόμβος καί τις τρόχος ὃν στρέφοντες ἐν ἱμάντι καὶ τύπτοντες ἐ κ τ ύ π ο υ ν.	ῥόμβος τρόχισκος. ὃν στρέφουσιν ἱμᾶσι τύπτοντες καὶ οὕτως κ τ ύ π ο ν ἀποτελοῦσι. τινὲς δὲ ῥύμβον αὐτὸν καλοῦσιν ὡς καὶ Εὔπολις ἐν Βάπταις καὶ Δίδυμος.
		ῥόμβος κατὰ ὀνοματοποιΐαν καλούμενος. Ἀπολλώνιος οὖν ἐν Ἀργοναύταις λέγει ῥόμβῳ καὶ τυμπάνῳ ὑπὸ Φρυγῶν τὴν Ῥέαν ἱλάσκεσθαι· ἔστι δὲ καὶ φαρμακίδων τρόχος ὁ ῥόμβος παρὰ Θεοκρίτῳ καταγοητευόμενος ἐν τῷ στρέφεσθαι.	
	et. gen. = et. m. 706, 20 ῥυμβόνες εἰσὶν αἱ εἰλήσεις καὶ κινήσεις τῆς σπείρας οἱονεὶ τὰς κοτυλώδεις κάμπας.		**sch. in Apoll. Rh. IV 143.** ῥυμβόνας δὲ τὰς εἰλήσεις τῆς σπείρας καὶ περιδινήσεις.
		τινὲς δὲ ῥύμβον γράφουσι διὰ τοῦ υ ὡς Εὐριπίδης ἐν Πειρίθῳ αἰθέριον ῥύμβον φησίν, ὅ ἐστι στροφὴν καὶ τροχοειδῆ κίνησιν.	καὶ Εὐριπίδης ἐν Πειρίθῳ „σὲ τὸν αὐτοφυῆ πάντων θεῶν αἰθέρα ῥύμβῳ“.
		ἀπὸ τούτου δὲ καὶ τὰς κινήσεις ῥυμβόνας ὁ Ἀπολλώνιος λέγει.	τουτέστι ἐν κινήσει ὅθεν καὶ τὸ κινούμενον τροχίσκιον ὑπὸ τῶν φαρμακίδων ῥυμβίον καλεῖται. οὕτω δὲ λέγουσι τὰς περιφερεῖς κινήσεις. καὶ παρ’ Εὐπόλιδι „ὦ ῥύμβε μαστίξας ἐμέ“.

Apparet igitur Eustathii adnotationem in v. α 32 (p. 1387, 41 s.) ex etymologico magno haustam esse, cum in commentario Dionysii ipsa scholia Apolloniana aut ab Eustathio aut a scholiorum in Dionysium auctore adhibita sint. Sed tamen etiam in Homeri commentariis Eustathium ipsa scholia Apollonii adisse fortasse ex loco, quem Reitzensteinius benigne mecum communicavit, colligi potest: Eustath. enim p. 711, 20 ss. haec dicit (in v. Θ 248): εἰς δὲ τοὺς ῥηθέντας ἀχαιίνας ἐνθυμητητέον τὴν παρ' ἑτέρῳ ποιητῇ ἀχαιϊνέην ἔλαφον, περὶ ἣν πολλὰ ποιοῦνται οἱ ἐξηγηταί, quocum conferas schol. in v. IV 175 olim fortasse plenius.

Praeterea auctor lexici, quod dicunt Συναγωγὴν λέξεων χρησίμων vel Bachmannianum praeter cetera, quibus glossarium illud in Cyrilli libros auxit [1]), nonnulla etiam ex scholiis Apollonianis assumpsit: p. 16, 20 (ed. Bachm.) Ἀγρῶσται: οἱ κυνηγέται ἀπὸ τοῦ ἀγρώσσω ῥήματος. Ὅμηρος „ἰχθύσιν ἀγρώσσων" = schol. Apoll. IV 175; apud Cyrillum (K) omissum est [2]). P. 293, 27 = Phot. λωφήσομεν ἀντὶ τοῦ παύσομεν. κυρίως δὲ εἴρηται λωφῆσαι τὸ βάρος ἀπὸ τοῦ τραχήλου ἀποθέσθαι. (λόφος γὰρ ὁ τράχηλος add. Phot.) = schol. IV 1418. Etiam haec glossa in K deest, ubi leguntur: λωφήσαντος· παυσαμένου, ἡσυχάσαντος; λωφῶσι· παύουσι; λωφήσει· παύσεται; λώφησις· ἀνάπαυσις. Scholium autem Apollonianum e scholiis Homericis haustum est: cf. schol. Townl. in Φ 292; Oxyr. Pap. II p. 71; Apoll. Soph. 109, 24. Lex. Bachm. p. 335, 7 = Phot: πέζα: τὸ ἄκρον ἢ τὸ ἀπολῆγον τοῦ χιτῶνος, ὃ ἡμεῖς ᾤαν λέγομεν· πρότερον γὰρ ὑπὸ (ὑπὲρ Phot.) τοῦ μὴ τρίβεσθαι δέρμα προβάτου προσέῤῥαπτον = schol. Apoll. IV 46; in K deest. Lex. Bachm. p. 355, 8 = Phot. πύθω: σήπω. καὶ τὸ πυθόμενος [ἀντὶ τοῦ om. Phot.] σηπόμενος. ἔνθα (ἔνθεν Phot.) καὶ ἡ Πυθία, διὰ τὸ ἐν ἐκείνῳ τῷ τόπῳ σαπῆναι (τὸ add. Phot.) τοῦ δράκοντος σῶμα. Λύκος (Μύκλος corrupte in schol.) δὲ ὁ Νεαπολίτης καὶ (τὸ add. Phot.) πύον ἐντεῦθεν ὀνομασθῆναί φησιν. ἔστι γὰρ σεσηπὸς αἷμα. = schol. I 207. Lex. Bachm. p. 275, 11 κεμάς: ἔλαφος ὁ κοιμώμενος ἐν σπηλαίῳ, κοιμάς τις ὢν fortasse ex schol. in v. IV 12 sumptum est.

1) Cf. Wentzel, Beitr. zur Gesch. d. griech. Lexikogr. Ber. d. Berl. Ak. 1895 XXVI p. 477.

2) Wentzelii liberalitate apographum codicis Valicelliani inspicere potui.

Accedit quod in scholiis in Clementem Alexandrinum, ac quidem in eo codice, qui manu Baanis, notarii Arethae, scriptus est, saepe scholia in Apollonium Rhodium exscripta sunt. Item latini Vergilii interpretes copias scholiorum expilavisse videntur.

Omnium autem longe diligentissime auctor etymologici magni praeter alios poetarum commentarios scholiis Apollonianis usus est et sescentis locis magnum suum opus illis adornavit. Itaque iam Keilius in editione scholiorum nonnulla collato etymologico magno emendavit; ante omnes Berckmannus in dissertatione „de scholiis in Apollonii Rhodii Argonautica etymologici magni fonte" permulta docte congessit, e quibus hae de scholiis quaestiones permultum fructus perceperunt. Sed tamen praesertim nuper a Reitzensteinio etymologici codice Vaticano A invento, codice Florentino B iterum diligenter collato, denuo ad hanc quaestionem redire non plane inutile esse videtur.

Berckmannus demonstravit non omnia, quae cum scholiis Apollon. in etym. m. conveniant, ab ipso „etymologo" e scholiis sumpta, sed nonnullis locis Ori librum περὶ ἐθνικῶν adhibitum esse. Tribus illis locis, quibus hanc sententiam confirmavit (p. 7), ex etymologici cod. A nunc quartum addere possumus: etym. gen. s. v. Αχαιϊνέα[1]) (cf. etym. m. 180, 31): ἡ ἔλαφος· 'Απολλώνιος ἐν $\overline{\delta}$ τῶν 'Αργοναυτικῶν „ἥν τ' ἀγρῶσται ἀχαιϊνέην καλέουσιν" (IV 175). ἀπὸ 'Αχαιϊνέας πόλεως, ἐν ᾗ εἴδη εἰσὶν ἐλάφων μεγάλων· οὕτως Ὦρος περὶ ἐθνικῶν. Orus hic schol. in Apoll. IV 175 exscripsit.

Accedunt praeterea etymologici gen. glossae, quibus ostenditur, etiam per Methodium nonnulla scholia Apoll. in etymologicum venisse: etym. gen. s. v. 'Ανταία (cf. etym. m. 111, 46) ἡ 'Ρέα ὅτι τοῖς Τελχῖσιν ἐναντία ἐγένετο. παρὰ τὸ ἄντην ἀνταία. Μεθόδιος. Quae sumpta sunt e schol. Apoll. I 1141. Etym. gen. s. v. 'Αμήρυτον[2]): εἴρηται εἰς τὸ ἀμόρητον et s. v. 'Αμόρητον (cf. et. m. 83, 16) τὸ ἀτέλεστον καὶ τέλος μὴ ἔχον. ἡ μεταφορὰ ἀπὸ τῶν ἐρίων, μήρυτον καὶ ἀμήρυτον. Μεθόδιος. cf. schol. Apln. II 221. Etym. gen. s. v. 'Αἴγδην· ἐπίρρημα μεσότητος. σημαίνει δὲ τὸ ὁρμητικόν. οἷον „ἀΐγδην μέσας σὺν ὀστέῳ ἶνας ἔκερσε"

1) Cf. Reitzenstein. l. c. p. 317.
2) Ibid. p. 24 et 31.

(Π 826). παρὰ τὸ ἀΐσσω τὸ ὁρμῶ. οὕτως Μεθόδιος. quocum conferas glossam, ut dicunt, interlinearem codicis Laur.: ὁρμητικῶς. Veri simillimum mihi videtur, etiam quae in etym. gen. s. v. Ἀλκαία (cf. etym. m. 66, 5) sunt, e scholiis Apoln. a Methodio exscripta esse: Ἀλκαία ἡ οὐρά. κυρίως δὲ ἡ τοῦ λέοντος οὐρὰ διὰ τὸ εἰς ἀλκὴν αὐτὸν προστρέπειν. Ὅμηρος „οὐρῇ δὲ πλευράς τε καὶ ἰσχία ἀμφοτέρωθεν μαστίγεται ἐς δ' αὐτὸν ἐποτρύνει μαχέσασθαι" (Υ 170/1). οὕτως Μεθόδιος. cf. sch. IV 1614, ubi in schol. ed. Flor. lemma κήτεος ἀλκαίη est sicut in etym., cum Laur. κήτεος ὁλκαίη habeat.

Recte praeterea Berckmannus cognovit etymologum non raro scholiis immiscuisse quae aliunde petierit, etsi in singulis saepius aliter iudico, neque minus recte in universum ostendit auctorem etymologici alia, ut dicunt, recensione scholiorum usum esse, ita ut nonnumquam scholia in etym. servata nullo modo eis, quae codices nobis tradunt, inseri possint. In extremo denique capite haud paucos locos scholiorum ex etymologici copiis auxit et emendavit. Sed quamquam docemur, quomodo scholiis usus sit etymologici auctor et nonnulli etiam loci scholiorum emendantur, tamen, qualia scholia fuerint, quae ille in codice suo ante oculos habuerit, hac quaerendi via non satis clare perspicitur, quod non Berckmannum dico reprehensurus, quippe qui ipse titulo dissertationis indicaverit se etymologici fontem potius investigare quam scholia Apoll. ex etymologico restituere ac supplere voluisse. Hoc ut recte fiat, omnia quae in etymologico ex scholiis excerpta sunt, colligi et quatenus a scholiis in codicibus traditis dissentiant, iuxta poni oportet, quod certe eius est, qui novam editionem instituet; ego, quamquam copias Reitzensteinii benignitate colligere potui, omnia nunc exscribere et spatio et consilio quaestiunculae prohibeor. Cum tamen nonnulla, quae praeter locos a Berckmanno collectos ex etymologici thesauris nova accedunt, proferre velim, non alia via ac Berckmannus procedere possumus et in hoc acquiescere cogimur, ut singulos locos, quibus scholia aut suppleantur aut emendentur, deinceps componamus[1]).

Sic ea, quae etymologicum gen. s. v. Ὄσση praebet: „Ὄσσης Οὐλύμποιό τ' ἐσέδρακον" (I 598). ὄρη Θεσσαλίας κύκλῳ περιέ-

1) Quae de singulis locis Berckm. protulit ubi etymologici genope immutantur vel refutantur, silentio, ne longus sim, praetermitto.

χοντα ταύτην ε· Πήλιον (ἐπήλιον codd.), Ὄσση, Ὄθρυς, Ὄλυμπος, Πίνδος (πιν A), sine dubio e scholiis Apoln. deprompta sunt, etsi nunc alia in codicibus ad v. I 598 traduntur. Notandum est Millerum (p. 299) sub finem scholii compendio scripturae non recte soluto pro Πίνδος: Πίνδαρος habere (cf. sch. III 1085).

Etym. m. p. 368, 40[1]) ἐπωμαδόν: ἀντὶ τοῦ ἐπὶ τῶν ὤμων (afferuntur deinde Apoll. vv. I 738—41). διπλασίων ἠκολούθει τῇ Ἀμφίονος κιθάρᾳ κρουούσῃ, εἵπετο καὶ ἀπῄει, τῆς βασταζομένης ὑπὸ Ζήθου· Ζῆθος γὰρ καὶ Ἀμφίων ἐτείχισαν τὰς Θήβας· Ἀπολλώνιος Ἀργοναυτικοῖς. etymologici igitur auctor meliorem quam nos ordinem scholii ante oculos habuit, ita quidem ut coniuncta legeret, quae nunc in scholiis bis excerpta disiuncta videmus (sch. I 740 et 741).

Ad v. I 743 scholium plane novum ex etym. gen. prodit: ὀχμάζω: τὸ κατέχω . . . (veriloquium quod sequitur aliunde petitum est) οἷον Ἄρεος ὀχμάζουσα (ἐχμάζουσα B) . . . φαίνετ' ἰδέσθαι (v. I 743—46). τὸ παλαιὸν οἱ χιτῶνες τὸ μέρος τὸ πρὸς τὸν τράχηλον καὶ τὸν ὦμον ἠνεωγμένην εἶχον, ὡς τὸ πρὸς τοῖς ποσί, φίβλαις δὲ πυκναῖς συνιόν. τοῦτο λέγει οὖν ὅτι ἐπηρμένων τῶν συνεχουσῶν τὸ ἀριστερὸν μέρος τοῦ χιτῶνος καὶ τῶν ἀριστερῶν ὤμοις (fort. καὶ τῶν ἐν ἀριστερῷ ὤμῳ) φιβλῶν ἐκεχάλαστο ὁ χιτὼν ἕως τοῦ μαζοῦ κάτω τοῦ σκαιοῦ, ὡς φαίνεσθαι τοῦτον. Primum igitur in verbis poetae ab etymologo allatis veram scripturam παρὲκ μαζοῖο pro ea quae in codd. est ὑπὲρ μαζοῖο deprehendimus: laxato in laevo umero Veneris tunicae conexu usque ad cubitum et sub pectoris mammam vestis lapsa est, ita ut cum umero lacertus et laeva pars pectoris nuda fieret. Scholio autem ascripto, quomodo hoc fieri potuerit, explicatur, cum tunica manicata, qua mulieres posterioris aetatis utebantur, vix sic ex umero delabi potuerit.

Quam neglegenter qui scholia descripserunt saepe munere functi sint, scholio in v. I 1075 cum etymologico collato optime demonstratur. Nam in codicibus duo de eadem voce scholia exstant parum inter se congrua: primum (p. 366, 32—367, 2 K): πελανοὶ δὲ πέμματα ποιά. Ἀττικοὶ δὲ πᾶν τὸ πεπηγὸς οὕτω λέγουσι; deinde alterum: πελανὸς δὲ ὁ διαπεπηγμένος καὶ ῥυπαρὸς

1) Etym. m. genuino hic plenius est.

⟨ἀφρὸς⟩ κατὰ 'Αττικοὺς ὡς καὶ Εὐριπίδης „στόματος ἀφρώδη πέλανον" (Or. 204). Nullam autem offensionem scholium praebet, ut in etym. gen. (cf. et. m. 619, 15) servatum est: πελανός· οἷον „πανδήμοιο μύλης πελανοὺς ἐπαλετρεύουσιν" (I 1077) εἰσὶ πέμματά ποια [1]). 'Αττικοὶ δὲ πελανὸν λέγουσι πᾶν τὸ πεπηγὸς ὡς Εὐριπίδης περὶ τοῦ ἀφροῦ τοῦ πεπηγότος περὶ τοὺς ὀδόντας οὕτως ἔθηκε τὴν λέξιν οἷον „ἀφρώδη πέλανον". 'Απολλώνιος. In etymologico igitur antiquam formam scholii habemus, quod a diversis hominibus bis excerptum in scholiis nunc exstat, ab altero quidem brevissime exscriptum omisso Euripidis versu, ab altero neglegentissime, ita ut, cum primitus dictum sit (cf. etym. g.): Atticos omne solidum πέλανος dixisse, ut e. g. Euripidem spumam in ore equi concretam, inepte ille orationem in hunc modum contraxerit: Atticos, ut Euripidem, concretam spumam πέλανος dixisse.

In schol. I 1089, ubi res est de vocum ἄφλαστον et ἀκροστόλιον significatu, primum Schwartzius [2]) recte Ἀπολλώνιος in Ἀπολλόδωρος mutavit collato lex. Bachm. 172, 10: ἄφλαστα τὰ ἀκροστόλια. Ἀπολλόδωρος. Δίδυμος τὸ ἐπὶ τῆς πρύμνης εἰς ὕψος ἐκ κανονίων ἐπικεχαμμένον, quae fluxerunt e lexico Pausaniae Atticistae, ut per Eustathium (p. 1039, 35) discimus: ἄφλαστον δέ φασιν οὐχὶ τὸ ἀκροστόλιον, διαφέρουσι γὰρ αἱ λέξεις, ἀλλὰ κατὰ Δίδυμον, ὥς φησιν Παυσανίας ... Scholio autem Apolln. auctor etymologici s. v. ἀκροστόλιον (et. m. 53, 15) usus est, unde recte iam Keilius verba οὐκ εὖ, ἐπειδὴ τὸ ἀκροστόλιόν ἐστι ⟨τὸ ἄκρον⟩ τοῦ στόλου κ. τ. λ. supplevit. Neque vero verba scholii: ἔστιν οὖν ἀκροστόλιον τὸ ἄφλαστον κατὰ τὴν πρώραν sana esse videntur. Nam postquam ἀκροστόλιον τὸ ἄκρον τοῦ στόλου, στόλος autem lignum ad proram tendens dictum est, nunc exspectamus: ἔστιν οὖν ἄφλαστον οὐ τὸ ἀκροστόλιον τὸ (hoc τὸ add. in etym. gen.) κατὰ τὴν πρώραν, ἀλλ' ὁ ποιητὴς αὐτὸ παραδίδωσι ἐπὶ τῆς πρύμνης κ. τ. λ. Haec vel similia in scholiis fuisse confirmari mihi videtur eo, quod versui O 717 in cod. Ven. B (= schol. Townl.) ascriptum est: ἄφλαστον] οὐ τὸ ἀκροστόλιον, ἀλλὰ τὸ ἐπὶ

---

1) Non est quod, ut Schwartzius fecit (ad schol. Eur. Or. 220), ποιά in λεπτά mutetur.

2) E. Schwartz in encyclopaedia a Paully-Wiss. edita s. v. Apollodoros, p. 2871.

τῆς πρύμνης . . . Conferas praeterea A schol. in Ο 717 = Apoll. S. 49, 6; Hesych. s. v. ἄφλαστον = Suid. Totius autem disputationis auctor sine dubio Didymus est, ad quem omnia, quae de hac voce in scholiis lexicisque traduntur, redeunt [1]).

Incrementum scholiorum etiam ex etym. s. v. στύπος (cf. etym. m. 731, 45) recuperamus. Nam post veriloquium aliunde petitum et Lycophronis versum allatum ex scholiis Apolln. haec exscribuntur: „ἄστυ τε καὶ πεδίον Νηπήϊον Ἀδρηστείης . . . γεράνδρυον" (v. I 1116—1118) [2]) σχόλιον· πεδίον περὶ (περὶ om. in etym. gen· add. schol.) Κύζικον ἱερὸν τῆς Νεμέσεως. Νηπηΐη δὲ ἡ νέα ποιητικῶς. ἔστι καὶ πόλις Μυσίας Ἀδρήστεια ἀπὸ Ἀδράστου τοῦ ἱδρυσαμένου. (verba ἔστι—Ἀδρήστεια post ἀπὸ—ἱδρυσαμένου collocata sunt in cod.) στύπος ἀμπέλου καλεῖται τὸ πρέμνον τοῦ ἀμπέλου ἀφ' οὗ Ἀρχίλοχος „δρέων ἀπεστύπαζον". πᾶν δὲ δένδρον σκληρὸν καὶ στερεὸν στύπος λέγεται. ἢ τὸ ταπεινὸν παρὰ τὸ στρέφεσθαι ἐν συμφύτοις τόποις. γεράνδρυον δὲ τὸ γεγηρακὸς καὶ παλαιὸν δένδρον. ἢ τὸ ἐν τῇ ῥίζῃ ἐξηραμένον. Campi igitur nomen πεδίον Νηπήϊον, de quo in scholiis doctissima commentatio exstat, hic non ita acute a stirpe, quae voci νήπιος subest, derivatur. Verba autem subsequentia in scholiis omissa ἀπὸ Ἀδράστου ex etym. supplenda sunt. Sed ne nunc quidem sententia scholii integra esse videtur. Offendimus enim in verbis ἔστι δὲ καὶ πόλις Μυσίας Ἀδρήστεια, ubi καὶ illud intellegi non potest nisi alio eiusdem nominis loco antea appellato. Ergo collato Strabone (p. 588) et Steph. Byz. s. v. Ἀδράστεια: ἐκαλεῖτο δὲ καὶ χώρα Ἀδράστεια καὶ Ἀδραστείας πεδίον καὶ ἡ πόλις οὕτως, etiam in schol. Apoln. ἔστι δὲ ⟨καὶ χώρα⟩ καὶ πόλις καλουμένη Ἀδρήστεια ἀπὸ ⟨Ἀδράστου⟩ τοῦ ἱδρυσαμένου scribendum esse censeo. Praeterea autem Archilochi versus ex hoc etym. loco, ut iam Keilius fecit, et verba πᾶν δὲ δένδρον—ἐξηραμένον scholiis inserenda sunt.

Ad v. I 1196 in etym. g. s. v. ῥόπαλον (cf. et. m. 705, 23) praemissis compluribus vocis veriloquiis, quorum unum item in scholiis habemus, haec verba cum scholiis editis non congrua e codice suo etymologus exscripsit: „τὴν δ' γε χαλκοβαρεῖ ῥοπάλῳ"

---

1) **M. Schmidt, Didym. p. 78; Schwabe, Dionysii et Pausaniae frgm. p. 125.**

2) **In cod. B. v. 1118 et quod sequitur scholium deest.**

(I 1196). χαλκοβαρεῖ δὲ τῷ βαρουμένῳ ὑπὸ χαλκοῦ. κέντρους γὰρ εἶχεν ἡλωμένους βαρεῖς καὶ μεγάλους διὰ τὸ τὰ πληττόμενα ὑπ' αὐτοῦ μεγάλως βλάπτεσθαι, ut in scholio praeter Pisandri etiam aliae sententiae de Herculis clava olim fuisse videantur.

Phylarchi sententiam in schol. II 168 omissam ex etym. gen. = et. m. 208, 35 recuperamus. Res est de Bospori nomine, et praemisso scholio in Dion. Per. v. 140/1 ex schol. Apln. haec excerpta sunt: Φύλαρχος δὲ ὅτι οἱ ἐντὸς τοῦ Εὐξείνου Πόντου ἦσαν ἄπειροι γεωργίας, οἱ δὲ ἐντὸς ἔμπειροι. διὸ καὶ Βόσπορος ἐκεῖνο τὸ μέρος ἐκαλεῖτο τοῦ πελάγους, ὅτι ἐσπείρετο κ. τ. λ. sicut in scholiis.

Ad schol. II 373 et 999: etym. g. s. v. Θεμισκύρειον (cf. etym. m. 445, 26) οἷον „ἐξανέχει—ἠπείροιο" Ἀπολλώνιος (II 371 sq.). Θερμώδων δὲ ποταμός ἐστιν παραῤῥέων τὴν Ἀμαζόνων χώραν. ἔστι δὲ καὶ ἕτερος Βοιωτίας. τρεῖς δὲ πόλεις εἰσὶν ἔνθα κατῴκουν αἱ Ἀμαζόνες· ἡ μὲν [1]) Λυκάστεια (λυκασίεια B) ἡ δὲ Θεμισκύρεια ἡ δὲ Χαλίσεια (Χαλίστεια B). ὅθεν καὶ αἱ Ἀμαζόνες [2]) οἷον „ἔνθα Θεμισκύρειαι Ἀμαζόνες ὡπλίζοντες" (II 995) [3]) [καὶ χαλίσεια καὶ λυκάστεια]. Duo hic scholia, quae in codicibus secreta leguntur (sch. II 377 et 999), ut saepius in etymologico factum est, in unum contracta sunt. Novum accedit, quod de Thermodonte Boeotiae fluvio dicitur [4]). Nomen autem urbis Χαδησία in etym. g. in Χαλισεία corruptum est, in schol. II 373 in Χαλυβία, cum Χαδησία recte in sch. II 999 legatur. Quam corruptelam iam in exemplo etymologici fuisse eo apparet, quod apud Steph. Byz. s. v. Χαλισία, i. e. apud Orum, qui commentario Sophoclis usus est, haec verba exstant: ... ἔστι καὶ ἄλλη πρὸς τῷ Πόντῳ, μία τῶν Αμαζόνων, ἧς οἱ οἰκήτορες Χαλίσιοι. Quid autem si idem Stephanus s. v. Χαδισία haec praebet: πόλις Λευκοσύρων Ἑκαταῖος γενεαλογιῶν δευτέρᾳ. ἡ δὲ Θεμισκύρη πεδίον ἐστὶν ἀπὸ Χαδησίης μέχρι Θερμώδοντος... Ἀπολλώνιος β̄ „νόσφι δ' ἀκοντό⟨βολοι Χαδίσιοι⟩" (II 999). Ben.

1) Verba ἡ μὲν—Ἀμαζόνες in A omissa sunt.

2) Fort. hic ἐκλήθησαν suppl. est.

3) Sine dubio hic primitus etiam vv. 999 et 1000 laudati erant, ubi Λυκάστιαι et Χαδήσιαι nominantur.

4) Fictum fortasse propter Harmoniam, ut Kaibelius opinatur, coll. Pherecydis verbis apud Steph. s. v. Ἀκμονία p. 60, 19.

Niese[1]) collatis duobus his locis colligit in hoc (s. v. Χαδισία) Hecataeum ipsum, in illo (s. v. Χαλισία) corruptum scholium Sophoclis ex Oro Stephanum exscripsisse. Sed cum apud Steph. praeter Hecataeum etiam Apollonium memoratum inveniamus cumque praeterea in schol. Apln. ad hunc ipsum versum, quem Steph. affert, Hecataei sententia afferatur: Λυκαστία χωρίον τῆς Λευκοσυρίας ἀφ' οὗ Λυκαστίας εἶπε τοὺς 'Αμαζόνας, Χαδησίας δὲ αὐτὰς εἶπεν 'Εκαταῖος †ἀπὸ τοῦ χαδῆσαι†, nonne rectius concludemus etiam hoc loco Stephanum sua non ex ipso Hecataeo sed ex schol. Apln. i. e. ex Oro sumpsisse, qui in libro περὶ ἐθνικῶν s. v. Χαλισία corruptum scholium Sophocleum in v. II 373, s. v. Χαδισία schol. ad v. II 999 exscripserit. Fortasse sch. II 373 ipsi Sophocli tribuendum est, cum sch. II 999, ubi Hecataeus memoratur, Sophocles ex antiquiore commentario in suum transtulerit. Monendum est verba Χαδησίας δὲ αὐτὰς εἶπεν 'Εκαταῖος ἀπὸ τοῦ χαδῆσαι, ut sunt in scholiis, vitiosa esse; sed quam Keilius coniecturam proposuit ἀπὸ τῆς Χαδησίας minime satisfacit: plura excidisse et similia atque apud Stephanum s. v. Χαδησία etiam hic fuisse videntur.

Ad v. II 568 ss. In etym. g. s. v. καχλάζω (cf. et. m. 494, 10, etym. Gudian.[2]) 308, 44) haec leguntur: οἷον „κοῖλαι— ἄχνη" (II 568—70). σχόλιον· ὁ λευκὸς ἀφρὸς τοῦ κύματος καχλάζοντος, οἱονεὶ ταρασσομένου πρὸς ταῖς σπιλάσι (πρὸ στ" πηλάσι A; πρ̊ τ" σπηλάσι B) ταῖς τρηχείαις καὶ ταῖς κοίλαις †εκβράσειν†[3]) ἀνέπνεεν[4]) πεποίηται δὲ τὸ καχλάζω. ὁ γὰρ ἦχος τοῦ κύματος ἐν τοῖς κοιλώμασι (κυκλώμασι A) τῶν πετρῶν γενόμενος δοκεῖ μιμεῖσθαι τὸ κάχλα καχλα[5]). Sine dubio haec omnia ex scholiis Apln. exscripta sunt, ubi nunc nihil simile exstat, etiam veriloquium, cum ad ipsa verba poetae alludatur (cf. v. 568—9). Ceterum Orion (122, 29) s. v. ὄχλος ex Philoxeno longe aliam ety-

1) B. Niese de Steph. Byz. auctoribus, Kiliae 1873 p. 14.

2) In etymologici Gud. editione, qua, dum melior deest, utendum est, sub littera K multa ex etym. gen. interpolata sunt. Cf. Berckmann. p. 15, Reitzenst. p. 74 ss.

3) ἐκβράσσειν B. ἐκβράσεσιν etym. Gud. Fortasse ἐκβρασθεὶς legendum est.

4) Lege ἀνέπτυεν.

5) Cf. simile schol. in Theocr. id. VI v. 12 p. 225 (ed. A.).

mologiam profert. Simillimus autem ideoque item e scholiis Apln. depromptus, quamquam in codicibus nullum vestigium exstat, alter etym. gen. locus est (cf. et. m. 705, 34) ῥόχθεον: „μεγάλῳ ὑπὸ κύματι πέτραι ῥόχθεον“ (IV 924). ποιὰ φωνή. ἔστι γὰρ τὸ ὕδωρ εἰς τὰ κοιλώματα τῶν πετρῶν εἰσιόν. δοκεῖ δὲ ποιεῖν ῥόχθα ῥόχθα ῥόχθα.

Etiam schol. II 568 uberius quam in codicibus in etym. gen. et etym. Gud. 296, 25 exscriptum habemus: Κάλπιν·[1]) οἷον „τίκτε δέ μιν νύμφη—βαθυῤῥείοντά τε Κάλπιν“ (II 555, 56, 57, 59). Διονύσιος δὲ ὁ Ὀλβιανὸς ἱστορεῖ ἠϊόνας λέγεσθαι Ἀχιλλέως δρόμους. Κάλπις δὲ ποταμὸς Βιθυνίας. διαφέρεται οὖν κάλπη καὶ Κάλπις. κάλπη μὲν οὖν λέγεται ἡ ὑδρία, Κάλπις δὲ ποταμὸς Βιθυνίας (cf. schol. Laur. II 658).

Ad v. II 706: Quae s. v. Παρνασός (cf. et. m. 655, 4) Millerus p. 237 corrupta legerat, excerpta e schol. II 706 (cf. etiam Berckm. p. 39), haec in cod. Vatic. integra nobis occurrunt: Δελφύνης δὲ ἐκαλεῖτο ὁ φυλάσσων τὸ ἐν Δελφοῖς χρηστήριον. τοῦτον ἐφόνευσεν ὁ Ἀπόλλων θελήσαντα ἐπελθεῖν καὶ ἐπιχειρῆσαι (ἐπιχειρίσαι A) τῇ μητρὶ αὐτοῦ Λητοῖ. Ἀπολλώνιος ὁ τὰ Ἀργοναυτικά.

Maxime corruptum esse schol. II 908 etymologico gen. docemur, ubi s. v. ἀμείδητος haec traduntur: (cf. etym. m. 82, 28; Reitzenst. p. 24) ἀμείδητος: ἀμειδήτους „ᾧ ἐν ἀμειδήτους ἁγίας ηὐλίζετο νύκτας“ (II 908). τὰς φρικτάς, ἐν αἷς οὐκ ἔστι μειδιᾶσαι οὐδὲ γελάσαι. ἢ ὅτι φοβεραί εἰσιν καὶ σκοτειναί. ἁγίας δὲ τὰς ἁγνὰς διὰ τὸ ἐν αὐταῖς ἄγεσθαι τὰ μυστήρια. Ἀπολλώνιος ὁ τὰ Ἀργοναυτικά. In scholiis autem quasi v. ἀμείδητος explicetur, haec proferuntur: ᾧ ἐν ἀμειδή.: ἤτοι φοβερὰς διὰ τὰ μυστήρια τοῦ θεοῦ, ἢ ὅτι φοβεραί εἰσιν αἱ νύκτες. Εὐριπίδης „νύκτωρ τὰ πολλὰ σεμνότητ' ἔχει σκότος“ (Bacch. 486). Sed ex etym. loco apparet, verbis „διὰ τὰ μυστήρια τοῦ θεοῦ“ vocem ἁγίας, non ἀμειδήτους, explicari, itemque Euripidis versus de sacra noctis caligine tantum ad vocem ἁγίας referri potest, cum vocis ἀμειδήτους verilo-

---

1) Brunckius ad Apoll. III 659 coll. Steph. B. s. v. κάλπη et Strabone (XII p. 543) recte, ut mihi videtur, Κάλπην correxit, itemque hic in etym. gen. ubique pro Κάλπις et Κάλπιν: Κάλπης et Κάλπην scribendum esse puto.

quium in schol. omnino exciderit. Contra in etym. verba Euripidis desunt et quae leguntur ἢ ὅτι—σκοτειναί falso voci ἀμειδήτους ascripta sunt. Itaque et ex etym. et ex scholio in cod. tradito locum hoc modo restituemus: ἀμειδήτους τὰς φρικτὰς ἐν αἷς οὐκ ἔστι μειδιᾶσαι οὐδὲ γελάσαι. ἁγίας δὲ τὰς ἁγνὰς διὰ τὸ ἐν αὐταῖς ἄγεσθαι τὰ μυστήρια τοῦ θεοῦ, ἢ ὅτι φοβεραί εἰσιν αἱ νύκτες καὶ σκοτειναί. Εὐριπίδης „νύκτωρ τὰ πολλά· σεμνότητ' ἔχει σκότος".

Ad v. IV 477. Etymologici glossam ἀπάργματα (= schol. IV 477) iam Reitzensteinius publici iuris fecit in ind. lect. Rost. a. 1890/1 et deinde Berckm. p. 28. Scholium in codicibus traditum valde in brevius redactum, nonnullis locis etiam corruptum esse videtur. In initio scholii: ἐξάργματα] τῶν ἀποθανόντων οἱ δολοφονοῦντες ἀρχαίως ἀκρωτηριάσματά τινα ἐποίουν τοῦ ἀναιρουμένου, duplices illos genitivos ἀποθανόντων et ἀναιρουμένου recte se non habere apparet. Itaque coll. etym. gen.: ἀπάργματα λέγεται τὰ ὑπὸ τῶν τραγῳδῶν μασχαλίσματα. ταῦτα δέ ἐστι τὰ τοῦ φονευθέντος ἀκρωτήρια. ἦν γὰρ νόμιμον τοῖς δολοφονήσασιν ἀφοσιῶσαι τὸν φόνον διὰ τοῦ δολοφονηθέντος ἀκροτηριασμοῦ, hoc modo initium scholii emendandum esse videtur: ἐξάργματα] ⟨τὰ⟩ τῶν ἀποθανόντων ⟨ἀκρωτήρια vel ἀκρωτηριάσματα⟩. οἱ ⟨γὰρ⟩ δολοφ. ἀρχ. ἀκρωτηριασμόν [1]) τινα ἐπ. τ. ἀναιρ. Etiam quae sequuntur τῶν δὲ καλουμένων ἀκρωτηριασμάτων ἄπειρα καὶ πολλὰ ἐξάργματα, sic intellegi non possunt. Fortasse in ἄπειρα vestigium eorum habemus, quae sunt in etym. gen.: τὰ δὲ ἀκρωτήρια εἴροντες καὶ συρράπτοντες διὰ τῶν τοῦ νεκροῦ μασχαλῶν καὶ τοῦ τραχήλου περιετίθεσαν τῷ νεκρῷ . . ., ita quidem ut verborum ordine paulum mutato haec fere prima forma scholii fuerit: τὰ δὲ καλούμενα ἀκρωτηριάσματα καὶ ἐξάργματα εἴροντες καὶ συρράπτοντες καὶ ταῦτα λαβόντες ἐξήρτων τοῦ τραχήλου αὐτῶν. De ipsa re saepissime grammatici antiqui disputaverunt, quae quidem omnia ad Aristophanem Byzantium redeunt. Cf. Nauck. Aristoph. B. frgm. p. 221 ss.; E. Rohde, Psyche p. 253 a. 1; Kaibel. in Soph. El. p. 142; Wilamowitz. ad Aesch. Choeph. 439.

---

1) Sic scribendum esse puto pro ἀκρωτηριάσματα, i. e. ea quae deciduntur, cum hic verbum, quod ipsam mutilationem significet, postuletur.

Claudat agmen locus etym. gen. s. v. Ἀριήκοος multo auctior, quam quae in etym. m. et apud Millerum exstant: ἐνήκοος. οἷον „ῥίμφα—δρούσης“ (IV 1707—8). Μελάντιοι πέτραι ἀκρωτήριά ἐστι περὶ Θήραν τὴν νῆσον. ἐκλήθη δὲ οὕτως διὰ τὸν Μέλαντα τὸν υἱὸν Νάξου, τοῦ κτίσαντος τὴν Νάξον, πλέοντα πρὸς αὐτῆς τῆς Νάξου εἰς Θήραν περὶ τὰς ἄκρας ναυαγῆσαι ἐλθόντα (cf. schol. IV 1707, quod multo brevius est). Dicunt viri docti Melantios scopulos sitos esse prope Tenum et Myconum insulas et erravisse scholiastam prope Theram eos collocantem. Sed cum Melas a Naxo in Theram proficiscens in Melantiis scopulis naufragus fuerit, vix prope Tenum esse possunt, neque etiam error tantum esset scholiastae, sed Apollonium ipsum scopulos prope Theram collocasse ex eo apparet, quod Argonautae, postquam Apollo splendore aurei arcus ex Melantiis scopulis noctis caliginem illustravit, ad Anaphen insulam appulerunt, quae item prope Theram sita est (cf. v. IV 1706 ss.).

Caput tertium.

§ 1.

Scholiorum in Apollonium Rhodium molem, quae in codicibus traditur, non unius hominis opus esse subscriptio scholiorum testatur: παράκειται τὰ σχόλια ἐκ τῶν Λουκίλλου Ταῤῥαίου καὶ Σοφοκλέους καὶ Θέωνος. Τάῤῥα πόλις Κρήτης, ὥς φησι Λογγῖνος ἐν Φιλολόγοις (p. 532, 15 K). Scimus Theonem quendam, grammaticum Alexandrinum, Artemidori, bucolicorum carminum editoris, filium, qui in Theocriti carmina a patre collecta commentarium composuit [1]). De tempore eius inter omnes fere constat: vixit enim Alexandriae Augusti fere aequalis [2]). A Theone aliquo etiam Homerus, Nicander, Lycophro, Callimachus, fortasse et Pindarus [3]) poetae explicati sunt, quorum commentariorum qui in Apollonium

---

1) Cf. etym. m. 160, 30; 144, 50; Ahrens, Buc. Gr. II p. XXVII ss.; Giese de Theone gramm. Diss. Monast. 1867 p. 38 ss.

2) Wilamowitzius nuper Caelii Aureliani medici testimonio allato Artemidorum ca. annum 70 Alexandriae mortuum esse demonstravit. Cf. Herm. vol. XXXV p. 543; et libelli „Adonis“ p. 32.

3) Cf. Giese p. 41 et contra eum Wentzel Ἐπικλήσεις VII p. 37—40.

Theocritum Callimachum Nicandrum Lycophronem compositi sunt, unius atque eiusdem esse grammatici de causis satis certis, ut mihi quidem videtur, conicere licet. Lucillum autem Tarrhaeum non ante primum p. Chr. saeculum vixisse Wilamowitzius probavit [1]) assentiente Usenero [2]). Scimus autem eum praeter hunc Apollonii commentarium scripsisse περὶ γραμμάτων, περὶ παροιμιῶν τρία βιβλία, τεχνικά, περὶ Θεσσαλονίκης [3]).

Qui altero loco dicitur Sophocles grammaticus, cum Irenaeo, de quo statim dicendum est, usus sit, ante II p. Chr. saeculum scripsisse non potest; nam ut Maximilianus Warnkross recte cognovit, is qui in sch. II 992 Irenaei sententiam impugnat, Sophocles est, quem Stephanus Byz. s. v. Ἀκμονία exscripsit [4]).

Etiam alios viros doctos Apollonii carmini operam dedisse ex ipsis scholiis novimus: schol. II 1052: Χάρης αὐτοῦ τοῦ Ἀπολλωνίου γνώριμος ἐν τῷ περὶ ἱστοριῶν Ἀπολλωνίου et sch. I 623: Ἀσκληπιάδης ὁ Μυρλεανός, δεικνὺς ὅτι παρὰ Κλέωνος τὰ πάντα μετήνεγκεν Ἀπολλώνιος, sed apparet utroque loco non commentarium totius carminis, sed quaestiones de certa quadam re institutas, συγγράμματα, memorari. Commentarium autem praeter grammaticos in subscriptione scholiorum commemoratos Q. Minucius Pacatus confecit, homo Romanus, qui in libris graece scriptis Εἰρηναῖος se appellabat. Irenaeus, Heliodori discipulus, ut Suidas s. v. Πακᾶτος et s. v. Εἰρηναῖος, quibus locis etiam eius scripta enumerat, tradit, Traiano et Hadriano imperatoribus vixisse videtur [5]). Notandum est, quod fortasse postea iuvare nos potest, eum ut alios multos illius aetatis atticistam fuisse [6]) et praeter alios libros scripsisse περὶ Ἀττικῆς συνηθείας τῆς ἐν λέξει καὶ προσῳδίᾳ βιβλία $\bar{\gamma}$, Ἀττικῶν ὀνομάτων βιβλία $\bar{\gamma}$, περὶ Ἀττικισμοῦ βιβλίον α.

1) Heracl. [2]I p. 186 no. 129.

2) Usener, Ein altes Lehrgebäude der Philologie. Sitzungsber. d. bair. Ak. 1892 p. 643 ss.

3) Cf. Steph. Byz. s. v. Τάῤῥα et Θεσσαλονίκη; Preller, Polemonis frgm. p. 62; Miller, Mélanges p. 341 ss.; Crusius, analecta in paroemiographos Gr. Lps. 1883 p. 93 s.

4) M. Warnkross, de Paroemiographis Gr. capita II. Diss. Gryphisw., 1881: sententia contr. II; et E. Bethe, quaestiones Diodoreae mythographicae p. 91, ubi Wilamowitzii argumentationem proponit.

5) Cf. Wilam. l. c.; Bethe l. c.; Haupt. opusc. II 434 ss.

6) Reitzenstein, Gesch. d. gr. Etym. p. 383 ss.

Fragmenta Hauptius collegit. Commentarius in Apollonium Rhodium ab eo compositus in scholiis quater memoratur: sch. I 1299; II 127; 992; 1015, atque ita quidem, ut semper sententia, quam proposuit, ab altero, quem ipsum Sophoclem esse cognovimus, impugnetur.

Totum autem corpus scholiorum, quod ad nos venit, cum nonnullis locis etiam posterioris aetatis, quam qua Sophoclem fuisse opinati sumus, scriptores afferantur, Wilamowitzius quarto fere saeculo compositum esse collegit[1]).

Cum iam conabimur ad historiam corporis scholiorum cognoscendam pauca conferre et analysin, quam dicunt, scholiorum instituere, breviter primum ea perlustranda sunt, quae nominibus singulorum interpretum servatis ex eorum commentariis sive in ipsis scholiis sive alibi traduntur. Theonis nomen, interpretis antiquissimi, nusquam in scholiis, praeter subscriptionem illam, appellatur, sed Giesius p. 47 s., sibi persuasit apud Stephanum Byz. s. v. Ἄλος fragmentum commentarii Theonis in Apollonium servatum esse: Ἄλος πόλις Ἀχαΐας καὶ Φθιώτιδος ὑπὸ τῷ πέρατι τοῦ Ὄθρυος. ἀπέχει δὲ Ἴτωνος ὡς ἑξήκοντα σταδίους, κτίσαι δὲ αὐτὴν Ἀθάμαντα ἀπὸ τῆς συμβάσης αὐτῷ ἄλης. Θέων δέ φησιν ὅτι Ἄλος θεράπαινα ἦν Ἀθάμαντος ἡ μηνύσασα τὴν Ἰνὼ φρύγειν τὰ σπέρματα, ἧς εἰς τιμὴν τὴν πόλιν ὠνόμασεν ..., ubi prima verba adeo cum Strabone (VIII p. 433), qui Apollodorum exscripsit, concinunt, ut a Strabone petita esse videantur. Etiam cetera verba κτίσαι δὲ et qu. seq. ad commentarium Apollonii referre valde dubito. Nam scimus Stephanum, ubi scholia Apolloniana adhibuerit, ex Oro, qui Sophoclis commentarium exscripsit, hausisse. Sophoclem autem in hoc scholio suam sententiam Theoni opposuisse neque ex scholiis ipsis cognoscere possumus, ubi ad v. II 513 haec ascripta sunt: Ἀθαμάντιον δὲ πεδίον οὕτω καλούμενον περὶ τὸν Ἄλον. κατῴκισε γὰρ Ἀθάμας ἐν Ἄλῳ τῇ νήσῳ τῆς βασιλείας ἐξελθών, neque ullum vestigium in etym. gen. = etym. m. 24, 10 exstat[2]), ubi scholium plenissime traditur: Ἀθαμάντιον· (laudantur versus II 513—15). ἔστι πεδιὰς ἐν Θεσσαλίᾳ καλουμένη Ἀθαμαντία ἢ μᾶλλον Ἀθαμανία. τὸ ἐθνικὸν Ἀθα-

1) Wil. l. c. no. 131.
2) Quem locum Giese omnino neglexit.

μᾶνες. διὰ τὸ ἐκεῖσε Ἀθάμαντα πλανᾶσθαι μετὰ τὸ φονεῦσαι τὸν ἴδιον υἱὸν Λέαρχον (Κλέαρχον codd.) χόλῳ τῆς Ἥρας ὅτι ἀνέθρεψε τὸν Διόνυσον. ἐφόνευσεν δὲ αὐτὸν μανεὶς εἰς θήραν δόρατι νομίσας ἔλαφον εἶναι, ὅθεν καὶ τῆς βασιλείας ἐξέπεσε καὶ τῆς Ἰνοῦς τῆς γυναικὸς ἐστερήθη καὶ τοῦ ἰδίου ⟨υἱοῦ⟩ Μελικέρτου ἀμφοτέρων εἰς θάλατταν ἐμπεσόντων καὶ οἰκησάντων προνοίᾳ Ποσειδῶνος ἐν αὐτῇ. οὕτως σχόλιον εὗρον εἰς τὸ Β (τὸν Θ codd.) τῶν Ἀργοναυτικῶν.

Quo vero argumento maxime Giesius nititur, apud Stephanum Byz. Theonem cum Sophocle coniunctum appellari — nam sub finem apud Stephanum leguntur: τὸ ἐθνικὸν Ἀλεύς, Σοφοκλῆς δὲ Ἀλουσίους, τινὲς δὲ τῶν γλωσσογράφων Ἀλίους — de hoc dicendum est Sophoclem poetam a Stephano dici. Ceterum scholium Apollonianum in etymologico traditum simillimum est fabulae apud Apollodorum I 84 narratae (cf. Hygin. f. II et III), cum altera illa memoria apud Stephanum Theoni tributa similiter in Ovidii Fastis (VI 551) redeat.

Etiam minus certe de altero loco Stephani, quo nomen Theonis exstat, iudicari potest: Ὑπερησία πόλις Ἀχαΐας „οἵ θ' Ὑπερησίην τε καὶ αἰπεινὴν Γονόεσσαν" Ὅμηρος (Β 573). κακῶς δὲ Θέων Ὑπέρειαν αὐτὴν καλεῖ; quocum conferas schol. in Apoll. v. I 176: ἀπὸ δὲ τοῦ Ὑπερρασίου βασιλέως τῆς Ἀχαΐας πόλις Ὑπερρασία· Ὅμηρος „οἵ θ' Ὑπερρασίην" (Β 573). Quod idem versus Homeri laudatur, eo minime demonstratur apud Stephanum Byz. hoc loco scholia Apolloniana adhibita esse, cum et Stephano Byz. multis locis Apollodori commentarium in navium catalogum subesse constet[1]) et in scholiis Apollonii eum adhibitum esse infra demonstraturi simus. Vix igitur diiudicari potest, unde haec Theonis sententia sumpta sit, vel quis omnino Theo ille fuerit. Ahrensius l. c. p. XXVIII itemque Giesius p. 40 ad Theonis commentarium in Odysseam (ο 254) locum referunt, cum M. Schmidtius ex scholiis Apollonii eum sumptum esse putet.

Lucillus Tarrhaeus in scholiis quater commemoratur. Versui enim I 1083 explicatio vocis ἀδινὰ κνώσσειν ab eo proposita ad-

---

1) Stephanus B. commentariis Epaphroditi usus est, qui praeter alios libros etiam catalogum Apollodori exscripsit, cf. Niese in Mus. Rhen. vol. XXXIII p. 276.

scripta est (cf. infra p. 62). Alter autem locus est schol. in v. I 1039/40. Ibi enim ad Dolionum catalogum ab Argonautis occisorum adnotatur: μνημονεύει Δηΐλοχος τῶν ἀναιρεθέντων, ὥς φησι Σοφοκλῆς, et deinde ad nomina Τηλεκλῆα ἠδὲ Μεγαβρόντην, quos ab Hercule interfectos esse poeta tradit: πέπλακε τὰ ὀνόματα ταῦτα Ἀπολλώνιος, οὐκ ἀπὸ ἱστορίας ἔλαβεν. οὕτως Ταῤῥαῖος. Qui ita scripsit, Lucilli librum ipse inspexit, et cum hic Lucilli sententia Sophocli opponatur, eum ipsum, qui post Sophoclem corpus scholiorum confecit, commentarium Lucilli ante oculos habuisse et cum Sophoclis opere coniunxisse concludere licet, qua quidem coniectura ea quaestio non solvitur, utrum Sophocles, quae profert, ipse collegerit an antiquioribus interpretibus, Theoni fortasse, debeat. Etiam ceteris locis Lucilli nomen in scholiis ita affertur, ut auctor scholiorum nostrorum ipsa verba Lucilli, non quae per Sophoclem, trium illorum interpretum ultimum, tradita essent, afferre videatur. Neque vero propterea etiam auctorem etymologici magni, qui p. 139, 5 haec tradit: Ἀρείων ὁ βελτίων. Ὅμηρος „πατρὸς πολὺ χείρονος υἱὸς ἀρείων" (cf. O 641 sed pro ἀρείων legitur ἀμείνων). εἴρηται δὲ παρὰ τὸ ἄρης ἵν' ᾖ κυρίως ὁ κατὰ πόλεμον καλλίων. οὕτως Ταῤῥαῖος ἐν Ἀργοναυτικοῖς, commentarium Lucilli ipsum adhibuisse pro certo contendam, nam quod Wilamowitzius speraverat, fore ut etiam aliis locis etymologici genuini Lucilli vel alius interpretis nomina prodirent, nisi fallor, non evenit. In scholiis similia nusquam leguntur; Merkelius (prolegg. p. LXI; cf. Berckmannum p. 9) etymologici locum scholium in v. II 77 fuisse opinatur, ubi pro verbis in codicibus scriptis τε χερείων in scholiis varia scriptura καὶ ἀρείων traditur.

Restant igitur duo scholiorum loci, quibus Lucilli sententia nomine addito profertur. Primum schol. in v. I 187 de Imbraso, fluvio Sami insulae, antea Parthenio appellato διὰ τὸ ἐκεῖ παρθένον οὖσαν τετράφθαι τὴν Ἥραν. καὶ Καλλίμαχος μέμνηται ⟨„ἀντὶ γὰρ ἐκλήθης Ἴμβρασε Παρθενίου". Παρθενία δὲ ἡ Σάμος ἐκαλεῖτο. ἐκέχρητο γὰρ πολλοῖς ὀνόμασι· καὶ γὰρ Μελάνθεμος καὶ Παρθενία καὶ Ἀνθεμοῦσσα ἐκαλεῖτο⟩.[1]) ὁ δὲ Ταῤῥαῖος οὕτως· Παρθενία δὲ ἡ Σάμος ἀπὸ Παρθενίας τῆς Σάμου γυναικὸς ὠνομάσθη. Priori parti scholii, cui sententia Lucilli opponitur, similli-

1) Quae uncis inclusi e scholio ad v. II 867 suppleta sunt.

mus est locus Strabonis X 457: οὐδ' ἐκαλεῖτο (sc. ἡ Σάμος) τῷ αὐτῷ ὀνόματι πρότερον ἀλλὰ Μελάμφυλος, εἶτ' Ἀνθεμίς, εἶτα Παρθενία ἀπὸ τοῦ ποταμοῦ τοῦ Παρθενίου ὃς Ἴμβρασος ὠνομάσθη. Strabon autem hoc loco Apollodori navium catalogum exscripsit [1]), quem item sequitur Stephanus Byz. s. v. Σάμος ... ἐκλήθη δὲ πρότερον Παρθενία καὶ Δρύουσα καὶ Ανθέμουσα καὶ Μελάμφυλλος. Ac profecto Apollodori catalogum etiam in scholio Apollonii adhibitum esse, hoc certissimum fit, quod demonstrare possumus, saepissime in scholiis ad res geographicas spectantibus catalogi reliquias deprehendi. Nonnullis insuper locis etiam ipsum nomen auctoris servatum est: praecipue in schol. ad v. III 1090 de Thessalia, antea Pyrrhaea Haemoniaque appellata, ubi sub finem scholii haec verba exstant: ταῦτα παρατίθεται 'Απολλόδωρος ἐν Νεῶν καταλόγῳ, unde apparet grammaticum, qui scholiis haec adscripsit, Apollodorum ipsum adisse. Eadem autem Strabon p. 443/4 et Steph. B. s. v. Αἱμονία tradunt, uterque item Apollodorum exscribens. Nam ne per Orum ex ipsis scholiis Apollonianis in Stephani Byz. librum haec venisse sumamus, obstant verba Αἵμων δὲ υἱὸς μὲν Χλώρου τοῦ Πελασγοῦ, cum in schol. Apln. secundum Rhianum Pelasgi filius dicatur. Apollodorus praeterea memoratur in sch. I 598 = Strab. VII 330 fr. 32. Quibus locis nitentes collatis Strabone et Stephano Byz. etiam multa alia scholia Apollodoro vindicare possumus; velut schol. I 40 de Larisa oppido; cf. Steph. B. s. v., ubi Homeri v. B 841 affertur; sch. I 49 (Φεραί) cf. schol. B 591 et Steph. B. s. v.; schol. I 57 (Γυρτών) ubi v. B 738 et Suidas laudantur, cf. Steph. B. s. v.; schol. I 87 (Οἰχαλία) cf. Steph. B. s. v.; schol. I 69 ('Οποῦς) cf. Steph. B. s. v. et Eustath. in Hom. Il. p. 277, 8; schol. I 105 (Σῖφαι, Θέσπεια) cf. Steph. B. s. v. Θέσπεια ubi v. B 498 affertur; sch. I 115 ('Αραιθυρέη) cf. Strab. VIII 382, Steph. B. s. v. Φλιοῦς, schol. B 571; schol. I 152 ('Αρήνη) affertur v. B 591, cf. Steph. B. s. v.; schol. I 162 (Τεγέα) cf. Steph. B. s. v.; schol. I 177 (Πελλήνη et Παλλήνη) cf. Steph. B. s. v. et schol. B 574; schol. I 202 (Ὤλενος) cf. Steph. Byz. s. v., qui Apollodori nomen affert, et Strab. VIII 386; schol.

1) Cf. E. Schwartz. in encyclopaedia a Pauly-Wiss. edita s. v. Apollodorus, vol. I p. 2869, 43.

I 2 3 8 (Παγασαί), ubi ex Apollodoro Demetrii Scepsii testimonium affertur, eodem modo, quo apud Strabonem IX 436: ἐπίνειον δὲ τῶν Φερῶν Παγασαί... ἀπὸ δὲ τῆς ναυπηγίας τῆς Ἀργοῦς καὶ Παγασὰς λέγεσθαι μυθεύουσι τὸν τόπον, οἱ δὲ (= Demetr. Sceps.) πιθανώτερον ἡγοῦνται τοὔνομα τῷ τόπῳ τεθῆναι τοῦτο ἀπὸ τῶν πηγῶν αἳ πολλαί τε καὶ δαψιλεῖς ῥέουσι. schol. I 2 8 4 (Ἀχαιάδεσσι = Θεσσαλαῖς) ubi B 684 ascribitur, cf. schol. III 775, IV 1329; schol. I 4 1 6 (cf. sch. I 904, III 993) = Strab. VIII 370 et schol. B 530 [1]); schol. I 471 (Ἀρήνη) cf. Strab. VIII 348; schol. I 583 (Σκίαθος) cf. Strab. IX 436, Steph. B. s. v.; schol. II 1 0 5 2 (Στύμφηλος) cf. Strab. 371, Steph. B. s. v. Sed sufficiant haec exempla, quae facillime augeri possunt — auctorem horum scholiorum indagare in cursu quaestionis fortasse nobis continget — et iam ad id, unde degressi eramus, revertamur.

In altero igitur, quod dixeram, scholio (ad v. I 1165), utrum μέγα τ' ἠρίον Αἰγαίωνος an μέγα τε ῥίον Αἰγαίωνος in verbis poetae scribendum sit disputatur. ῥίον enim secundum scholiastam idem est atque ὄρος, ἀκρωτήριον, cum voce ἠρίον, quam recte hic poni iudicat, sepulcrum, μνημεῖον significetur: οἴομαι δέ τινα ἀγνοοῦντα τὸν μῦθον τὸ ἠρίον μεταπεποιηκέναι, ἢ γραφέως ἁρματήματι παραλελεῖφθαι τὸ η. ὁ δὲ πρὸς Αἰγαίωνα μῦθος ὑπὸ Δημητρίου φαίνεται τοῦ Κνιδίου. Κόνων δὲ κ. τ. λ. Haec et cetera testimonia scriptorum usque ad p. 374, 7 ab eo homine ascripta esse mihi videntur, qui ἠρίον scripturam probare studebat. Quis autem ille fuerit, etiam in ipsis scholiis traditur: nam prima pars scholii modo allata in p. 374, 15—19 his verbis repetitur: μέγα τ' ἠρίον. γρ. καὶ μέγα τε ῥίον Αἰγαίωνος. οὐ γὰρ τὸ ὄρος ἀλλὰ τὸ μνημεῖον δηλοῖ. ὁ δὲ περὶ τοῦ Αἰγαίωνος μῦθός ἐστιν οὗτος· φυγὼν ἐκ τῆς Εὐβοίας ἦλθεν εἰς τὴν Φρυγίαν κἀκεῖ τὸν βίον ἐτελεύτησεν. γίγας δὲ ἦν. οὕτως Ταῤῥαῖος, quae verba ex altero illo scholio multo pleniore (p. 373, 23—374, 7) excerpta esse videntur servato quidem nomine Lucilli Tarrhaei. Contra inde a verbis τὸν δὲ Αἰγαίωνα Ἡσίοδός φησιν Οὐρανοῦ καὶ Γῆς... (374, 7—14), alius grammatici disputatio incipit, quem propter testimonia scriptorum allata eundem esse atque qui maximam partem scholiorum ad historiam fabularem spectantium corpori inseruerit, colligere possu-

1) Cf. Gaede, Demetrii Scepsii quae supersunt p. 8.

mus. Priorem autem partem scholii ad hunc grammaticum non redire etiam eo confirmatur, quod in scholio ad v. I 830, ubi item res est de nomine maris Aegaei, ne una quidem earum explicationum, quas in schol. I 1165 legimus, exstat. Illud autem scholium fortasse ex Apollodori navium catalogo sumptum est, cum Aegaeus Poseidon etiam apud Strabonem IX 405 et VIII 386, ubi idem, qui in scholio Apollonii, versus Homeri Θ 203 affertur, commemoretur, qui loci Strabonis ex Apollodoro exscripti esse videntur[1]). De Nicocratis aetate nihil fere constat, ut haud sciam an Apollodorus eius scriptis uti potuerit. Ceterum in scholii v. 25 pro nomine Νικοκράτης aliud nomen fuisse videtur.

Cum Lucilli librum grammaticus ille, qui nostrum corpus scholiorum confecit, etiam ante oculos habuisse videatur, Irenaeus, de quo iam supra (p. 32 s.) diximus, non nisi per Sophoclem servatus est; neque enim in subscriptione memoratur et, ubicunque in scholiis appellatur, Sophoclem vehementissime ei adversantem vidimus, qua quidem re pro grammaticorum illius aetatis ingenio minime impedimur, ne commentarium Irenaei a Sophocle saepissime expilatum esse credamus.

Ipsius autem Sophoclis commentarii reliquiae satis multae plenaeque ad nos pervenerunt nomine eius servato, ut, quomodo opus suum confecerit, cognoscere possimus. Nomen eius in corpore schol. semel exstat loco iam supra allato (p. 35) ad v. I 1039: μνημονεύει Δηίλοχος τῶν ἀναιρεθέντων, ὥς φησι Σοφοκλῆς, testimonium pretiosissimum a grammatico adscriptum, qui de scriptoribus, quos Apollonius in singulis fabulis secutus sit, quaesivit (cf. sch. I 1037)[2]). In scholio ad v. II 1015 ad Irenaeum refu-

---

1) Conferas praeterea schol. Townl. Iliadis v. N 21 ascriptum: Νικοκράτης δὲ ἐν τῷ περὶ τοῦ ἐν Ἑλικῶνι ἀγῶνος οὐ ταύτας φησὶ τὰς Αἰγὰς λέγειν τὸν ποιητὴν ἀλλ' ἑτέραν τινὰ νῆσον ἐν τῷ Αἰγαίῳ πελάγει περὶ ἣν καὶ παραδοξολογία τις εἶναι μυθεύεται. τοὺς γὰρ προσορμίζοντας τῇ νήσῳ νυκτὸς ἅπαντας ἀφανεῖς γενέσθαι. διὸ μηδὲ προσπελάζειν τινά.

2) Idem Deilochus de rebus Cyzicenis saepius sive dissentit sive consentit cum Apollonio comparatur, ut appareat fuisse aliquem, qui eius librum περὶ Κυζίκου (cf. sch. II 98) diligenter cum Apollonii Argonauticis contulerit (cf. Knaack, de fabulis quibusdam Cyzicenis in commentationibus Gryphisw. 1887). In similem modum Hesiodus (sch. I 859; III 11; IV 892), Ibycus (III 158), Aeschylus (IV 284), Pindarus

tandum lectissima doctrina utitur Ctesiam, Suidam, Agathonem, Mnesimachum scriptores afferens, itemque in schol. II 992, ubi Pherecydis sententiam profert. Praeterea constat per Orum, qui in libro περὶ ἐθνικῶν commentarium Sophoclis exscripsit (cf. Steph. Byz. s. v. Ἄβαρνος, Κάναστρον, Γενήτης et supra p. 19), multa ex Sophoclis commentario et in Stephani lexicon et in etymologicum magnum pervenisse (cf. supr. p. 19 et p. 22)[1]). Ex omnibus autem his locis videmus commentarium Sophoclis copiosissime doctrina illa mythologica et geographica fuisse exornatum, propter quam scholia Apolloniana tanti habentur. Sophoclem autem, grammaticum secundi p. Chr. saeculi, ex ipsis auctoribus haec omnia collegisse et contulisse non est qui credere possit, ut iam nunc nobis colligendum sit, quod re ipsa verisimile est et iam

---

(I 57), Herodorus, Neanthes (I 1063), Pherecydes (II 990), Eumelus (III 1372), Maeandrius (I 1126), Timagetus (IV 284, 259), anonymi (cf. sch. IV 661), ut Apollonii auctores laudantur. In schol. II 729 ex Nymphide Heracleota locus versibus Apollonii simillimus affertur, qua de causa opinatur scholiasta Apollonium eius libro usum esse: παρ' οὗ Ἀπολλώνιος ἔοικε ταῦτα μεταφέρειν. Nymphodorum ab Apollonio adhibitum esse observatur in schol. III 202. Denique nomen auctoris excidisse videtur in schol. II 911: τὴν δὲ περὶ Σθενέλου ἱστορίαν ἔλαβε παρὰ Προμαθίδᾳ. τὰ δὲ περὶ τοῦ εἰδώλου αὐτὸς ἔπλασεν, quae recte se habere non possunt, cum Promathidas circa annum 80 a. Chr. scripsisse videatur (cf. Susemihl II p. 356), ac praeterea dativus ille corruptelae index sit. Qua de causa cum Lehrsio faciemus, qui post παρά lacunam indicavit (cf. Lehrs. de Asclepiade Myrleano in „Herodiani scr. III" p. 432). Quarum observationum de Apollonii fontibus nonnulla sane ad antiquos illos commentarios, quos Asclepiades Myrleanus et Chares, Apollonii discipulus, de fabulis Apollonii instituerunt, redire possunt (cf. sch. I 623 et II 1052 et supr. p. 32).

1) Conferas praecipue etym. m. 2, 11 = Steph. B. s. v. Ἄβαρνος, sumptum e sch. I 982 (Berckmann. p. 6 ssq.); etym. m. 28, 24. Αἰγαί e schol. I 831; etym. m. 587, 46 et sch. I 185; etym. gen. s. v. Ἀχαϊνέα (cf. supr. p. 22) e sch. IV 175. Stephani locos, quibus Apollonii testimonia afferuntur ex indicibus facile colliges, quorum quidem nonnulli etiam ex Herodiano non ex Oro exscripti esse possunt. Cf. praeter alios locos Steph. B. s. v. Αἰγιαλός et Κρωβίαλος et schol. in v. II 942 ss., ubi Strabon (XII 545) exscriptus est; Steph. B. s. v. Ἀκμονία et Δοίαντος πεδίον e sch. II 373 et II 990; Steph. B. s. v. Ἐρυθῖνοι e sch. II 941; Steph. B. s. v. Κύτα e sch. I 399; Steph. B. s. v. Χαδισία et Χαλισία e sch. II 373 et 999 (cf. supr. p. 27 s.).

pridem a viris doctis[1]) habetur, eum, ut Irenaeum exscripserit, ita etiam antiquiorum interpretum commentarios expilasse.

§ 2.

Perlustratis eis scholiis, quae certissime singulis interpretibus attribuere possumus, cum nomina ipsa servata sint, iam ad reliquam scholiorum molem accedentibus primum nostrum erit eas partes secernere, quae inde a Sophoclis tempore ab aliis grammaticis antiquis scholiis additae sunt. Sed cautissime in tali quaestione nobis procedendum erit; vulgo enim homines docti nimium propensi sunt omnia ea scholia, quibus singula verba, grammatica ratio, consilium poetae aliave minoris ponderis explicantur, quibusque, ut ipsa re apparet, doctrinae illa moles, qua praecipue scholia ad res fabulares spectantia exornantur, inseri vix poterat, ea ut magistelli inferioris vel si dis placet Byzantinae aetatis additamenta contemnere. Immo, quod iam ratio postulat, non solum de variis scripturis, de raris quibusdam vocabulis, de historia fabulari, sed etiam de verbis, arte, consilio ipsius poetae in commentariis iam satis antiquo tempore disputatum esse, hoc nuper scheda Oxyrhynchi[2]) inventa clarissime docuit. Charta editorum opinione II p. Chr. saeculo scripta est, ipse autem commentarius Homericus fortasse ad primum saeculum redit. Atque collatis his schedulis cum tribus illis corporibus scholiorum, quae in codicibus servantur, praeter omnium opinionem apparuit, eas permultis locis ad verbum fere cum scholiis, quae BTscholia dicuntur, concinere. Videmus igitur, etiam ea scholia, quae minoris adhuc auctoritatis a viris doctis existimabantur, cum subscriptio in cod. Ven. A tradita deesset neque tam fuse docteque de rebus fabularibus disputaretur, sed praeter paradosin ante omnia verborum poetae interpretatio proponeretur, certe ad primum p. Chr. saeculum redire.

Primum igitur paraphrasis vestigia per tota scholia dispersa sunt neque dubito, quin ad totum carmen illa pertinuerit olim, quamquam nunc permultis locis omnino deest, aliis nihil nisi glossae restant. Quae quidem non ita intellegi velim, ut credas olim continuam paraphrasim a scholiis secretam fuisse, quales

1) Wilamowitz. Heracl. l. c.

2) Cf. Grenfell and Hunt, The Oxyrynchus Papyri. Part. II p. 52 ss. et Wilamowitz Gött. gel. Anz. 1900 fasc. I p 39.

Lehrsius in Pindari scholiis sibi repperisse visus est, quam postea homo aliquis cum ceteris scholiis coniunxerit, sed potius unicuique versui, vel complurium versuum complexui, r e r u m explicatione absoluta ad s e n t e n t i a m poetae facilius intellegendam paraphrasis adiuncta fuisse videtur. Interdum haec paraphrasis fere integra servata est: ut in libro IV, ubi de Apsyrti morte agitur, ad vv. 417—512, vel ad vv. 856 sqq.: μηκέτι καθέζεσθαι ἐν ταῖς ἀκταῖς τῆς Αἰαίης νήσου, ταῖς οὔσαις πλησίον τῆς Τυρσηνῶν περιμένοντες καὶ ὑπερτιθέμενοι τὸν πλοῦν ὑμῶν (856) . . . πᾶσαι ὁμοῦ ἀπαντῶσι τὴν ναῦν φυλάξουσαι ἐκ τῶν πετρῶν αἵτινες καλοῦνται Πλαγκταί (859—861). ἐκεῖνος γὰρ ὑμῖν ὁ πλοῦς αἴσιος καὶ καθήκων ἐστὶν ὁ διὰ τῶν Πλαγκτῶν πετρῶν (861) . . . μήτινι τῶν Ἀργοναυτῶν ἀποδείξῃς με, ἡνίκα με ἴδῃς σὺν ταῖς Νηρείσιν ὑπαντήσασάν σοι (862/3) . . . ἀφανὴς γενομένη κατέδυ εἰς τὸ βάθος τῆς θαλάσσης. τὸν δέ Πηλέα δεινῶς ἡ λύπη ἔπληξεν (865/6) et quae sequuntur usque ad v. 890; ubi pauca tantum in paraphrasi omissa sunt. Neque vero causa inveniri potest, cur hic multisque aliis locis, non praeter ceteros difficilibus, verba poetae tam plene circumscripta sint, aliis paraphrasis omnino defuerit, ideoque multo pleniorem etiam paraphrasim olim fuisse credam, quam nescio qua de causa librarii modo diligenter excerpserint, modo omnino neglexerint.

Persaepe paraphrasis a certis formulis initium capit: φησίν (sc. ὁ ποιητής), ὁ δὲ νοῦς, ὁ δὲ λόγος, ὁ δὲ ἑξῆς λόγος, semel (sch. I 106) ἡ δὲ διάνοια. Contra σύνταξις, quae vox recentioris vel Byzantinae aetatis paraphrasim indicat [1]), nusquam invenitur praeter unum locum (IV 271 ἀμφιβολία περὶ τὴν σύνταξιν) ubi non de paraphrasi, sed de conexu verborum res est. Itaque iam hac de causa in scholiis Apollonianis paraphrasis satis antiquo homini, certe non aetatis Byzantinae attribuenda est, quamquam accuratius eius aetas ad hoc quidem tempus nondum constitui posse videtur. Restat etiam alia formula: τὸ ἑξῆς, qua quidem modo paraphrasis (I 536; 936; 961; 1016; 1134; II 357; 451; 533; 786; III 500; 601), modo repetitio ipsorum poetae verborum indicatur ita tantum mutata c o l l o c a t i o n e verborum, ut ordo pedestris sermonis fiat (I 299; 703; 998; 1195; 1315 aliisque

1) Lehrs, die Pindarscholien. Leipzig 1853. p. 44 et 45.

locis). De vetustate autem huius paraphraseos cum quaerimus, in universum hoc dubium esse non potest, quin iam grammatici Alexandrini auditoribus poetam aliquem interpretantes, ea quae ad versus poetae explicandos contulerant, postremo paraphrasi adiecta breviter complecti soliti sint. Ipsum enim Aristarchum ita facientem videmus ut ad v. Φ 126/7 [1]). Sed totius carminis paraphrasi vix opus erat, aut si opus erat, a magistro in carmine verbis explicando addi poterat, non tota commentariis inserebatur. Maximam igitur partem paraphraseos antiquis scholiis iure abiudicabimus eamque potius inferiori aetati, ei fortasse homini, qui quarto fere saeculo scholiorum corpus composuit, vindicabimus. Antiquos interpretes eis fortasse locis adgnoscere debemus, quibus de sententia disceptatur eademque verba variis modis circumscribuntur ut ad v. I 246; 299; II 8; 77; 590; III 86. Contra, sicubi eandem paraphrasim bis invenimus, ut ad v. I 1016 multisque aliis locis, hoc eo explicatur, quod paraphrasis primitus plenior in margine ascripta brevius deinde inter lineas repetita est, quae brevior repetitio postea item in marginem devenit. Quam rem etiam nunc nonnullis locis in scholiis observare possumus: ut in scholio ad v. I 1289, ubi verba ὁ δὲ λόγος, καθέζῃ ὡς ἔτυχες ἥσυχος (p. 381, 16) inter lineas p. 381, 32 repetita [2]), et in schol. II 541, ubi e longiore explicatione comparationis pauca iterum versui 542 (= p. 420, 22—23) et versui 544 (= 420, 32 s.) ascripta sunt. Similia ubique in scholiis facta esse videmus, quae semel hic commemorasse satis sit.

Cum paraphrasi explicatio quaedam grammatica artissime coniuncta est. Quomodo hoc factum sit, duo exempla ante omnia luculenta optime demonstrabunt: schol. I 445 ὧδε κακοῖς δεδαώς: οὐκ ἐκ τῶν καθόλου ἀλλὰ τοῖς ἐμοὶ βλαβεροῖς. ὑπέρβατον δέ ἐστι καὶ πλεονάζει ὁ καὶ σύνδεσμος, λείπει δὲ ἡ ἐξ πρόθεσις καὶ ⟨ἡ⟩ πτῶσις ἐνήλλακται, γενικὴ ἀντὶ δοτικῆς, ἔστι δὲ καὶ ῥῆμα συντελι-

1) Cf. Oxyrynchus Pap. II p. 60 col. IV. Usener l. c. p. 584 in A-scholiis ad B 345 antiquae scholae partem se invenisse putat „Diese Anordnung des Lehrvortrages liegt deutlich vor in einem Ausschnitt Aristarchischer Schulhefte den Didymus zu B 45 aufbewahrt“, sed nescio num re vera haec omnia ad Didymum redeant.

2) Keilius ea scholia, quae inter versus posita sunt in cod. Laur., asterisco, quae in margine interiore, geminatis asteriscis signavit.

κὸν ἀντὶ τοῦ ἐξῆλθον. ὁ δὲ λόγος οὕτως· ἔμπροσθεν ἐκ κακῶν οἰωνῶν ἐγνωκὼς τὸν ἐμαυτοῦ μόρον, ἐξῆλθον ἐκ τῆς πατρίδος, ἵνα ὑμῖν συμπλεύσας κλέος ἀπενέγκωμαι. et schol. in v. III 601: τῷ καὶ ἐελδομένους· παρατατικὸν εἴληφεν ἀντὶ συντελικοῦ, καί ἐστιν ὑπέρβατος ἡ φράσις, καὶ λείπει τὸ ὡς. τὸ γὰρ ἑξῆς ἐστι, διὸ καὶ ἐπιθυμοῦντας μακρὰν πλεῦσαι (προσεκδεκτέον καὶ τοῦτο) ὡς πατρὸς ἐντολῇ πέπομφε φράσαντα αὐτοῦ. Formulae vel σχήματα, quibus haec explicandi ratio maxime utitur, praeter alia haec sunt: λείπει τὸ ..., ἐλλείπει εἰς τὸν πλήρη λόγον ..., προσληπτέον τὸ ..., πλεονάζει τὸ ..., περιττεύει τὸ ... et alia. Saepissime enim grammatici Alexandrinae aetatis [quippe qui historicam, qua nos utimur, explicandi rationem nondum cognovissent] in eo acquiescebant, ut vera explicatione omnino omissa tantum contenderent, pro altera forma, quae ratione grammatica postularetur, alteram positam esse, cuius rationis etiam in scholiis Apollonianis permulta exempla inveniuntur. Scriptorum testimonia, quibus praecipue scholiorum vetustas certius definiri potest, in hoc genere scholiorum praeter Homeri non afferuntur. Tamen ne nimis temere etiam haec omnia grammatico posterioris aetatis attribuamus, rursus novus ille commentarius in Iliadis Φ monet, ubi eandem explicandi rationem invenimus ut ad v. 146 (col. VI) ἐπεὶ κεχόλωτο δαϊκταμένων: ὅτι ἐλλείπει ἡ περί; vel ad v. 203 (col. IX) ... καὶ ἐλλείπει τὸ ἄλλοι, ἵν' ᾖ καὶ οἱ ἄλλοι ἰχθύες, ὁμοίως τῷ „τῷ μέν τ' οὐδὲ ποτητὰ παρέρχεται οὐδὲ πέλειαι τρήρωνες" (μ 62). Quin ipsum etiam Aristarchum his σχήμασι in explicando usum esse satis constat (cf. Friedländer, Aristonici περὶ σημείων Ἰλιάδος rell. Gott. 1853 p. 1—35). Ideoque similia iam in antiquis scholiorum exemplis fuisse iudicabimus: id tantum dubium esse videtur, an antiqui interpretes hac explicandi ratione tam saepe, quam postea factum est, usi sint. Fieri sane poterat, ut talia scholia, pro harum observationum vilitate, a magistello quolibet adderentur.

Sed praeter hanc grammaticam interpretationem cum paraphrasi saepe tertium quoddam genus scholiorum, explicationem dico singulorum verborum, coniunctum videmus, atque ita quidem ut singulorum scholiorum antiquissimus ordo hic fuisse videatur, ut primo vocabula, deinde grammatica ratio explicata, postremo omnia haec paraphrasi comprehensa sint. Conferas e. g. schol. I 685: βώσεσθε: ἀντὶ βιώσεσθε. ὁ δὲ νοῦς, αἱ δὲ νεώτεραι πῶς βιώσεσθε

καὶ ζήσεσθε ... vel schol. I 836 μάλα κεν: ὁ νοῦς, λίαν ἡμῖν ἐστιν ἀρεστὸν τυχεῖν ὧν ἔχομεν χρείαν, οὐ δὲ ὁμοίως δίδως. νῦν τὸ ὀπάζεις κεῖται ἀντὶ τοῦ δίδως; vel. schol. I 919 ubi primum de voce προτέρω agitur deinde pergitur: κεῖται δὲ νῦν καταχρηστικῶς ἐπὶ τοῦ λόγου. ὁ γὰρ νοῦς ... In talibus vero ut secernamus, quae ad scholia recentiora et antiquiora pertineant, nullo modo fieri potest. Neque enim dignoscere possumus, utrum scholium aliquod per librarios ita, ut in codicibus traditur, decurtatum sit, an inde ab initio eandem formam habuerit, neque omnino est, quod breve id genus explicationum ab antiquis scholiis abiudicemus. Conferas enim quaeso etiam hic permultas illas glossas in papyro iam saepius memorata traditas. Sed tamen indicia quaedam exstant, ut nonnullas saltem partes scholiorum secernere possimus. Praeter paucos illos locos, quibus alii scriptores Sophocle ut videtur posteriores commemorantur[1], ei praecipue loci, in quibus Herodianus nominatur vel omisso nomine sententiae eius proferuntur, a grammatico inferioris aetatis additi esse videntur. Locos, ubi Herodiani nomen adhuc exstat, ex indice auctorum, quo Keilius editionem scholiorum exornavit, facile colliges; quos augere studens Lentzius in praefatione libri de Herodiani reliquiis (p. 216 ss.) multa alia scholia Herodiano vindicavit, sed, ut solet, nimium ei tribuens. Nam sicubi vel tenuissima similitudo inter scholium Apollonianum et locum aliquem Herodiani intercedat — quod quidem non raro fieri pro talium observationum crebritate nemo mirabitur — ex Herodiano hoc scholium depromptum esse colligit, cum contra, ubi scholia cum Herodianea doctrina non convenire ipse concedere debet, haec „futilissima inferiorum grammaticorum inventa“ esse iudicet. Ut exempla afferam, persuadere mihi cum Lentzio non possum ex Herodiano in scholia pervenisse schol. I 204 (σιφλός); schol. I 275 (ὀρεχθεῖν), quae scholia potius e lexico Homerico, de quo statim dicendum erit, fluxisse videntur. In aliis, quae affert, scholiis fieri sane potest, ut ab Herodiano petita sint, demonstrari non potest. Qua de causa etiam de maxima parte eorum scholiorum, quae ad derivationem verborum et ad prosodiam spectant, unde et quo tempore in corpus scholiorum venerint, in dubio relinquendum est. Cuius generis specimina

1) Wilamowitz, Heracl. I[1] p. 186 no. 131.

invenies praeter alia ad v. I 71 de derivatione vocis ἀλκῆεις; I 1016 (ἁρπάγδην); IV 1317 (ἀτύζω); III 753 (δειδυῖαν); I 269 (κηδεμονῆες); et de prosodia: I 103 (κείνην et κεινήν); I 125 (νεῖον); I 677 (ἐπαυρέσθαι); I 1132 (ἐργώλας); II 21 (ἑῶν); II 576 (πλήμυρίς); et multa alia.

Si ceterorum scholiorum, quae in verbis explicandis versantur, molem perlustramus, duo praecipue genera dignosci possunt, quorum altero singula vocabula a poeta adhibita lexicorum in modum explicantur eorumque usus testimoniis aliorum scriptorum allatis illustratur, altero magis ad usum ipsius poetae eiusque sententiam spectatur. Iam suspicabimur doctrinam illam testimoniaque scriptorum, quae in primo illo genere congesta sint, minime ab eis hominibus esse collecta, qui haec scholiis inseruerint: nam re ipsa verisimile fit, tales explicationes lexica redolentes revera a lexicis esse petitas. Ac profecto non semel quasdam glossas e lexico aliquo excerptas esse etiam demonstrare possumus. Sic facillime permultae illae glossae, quae e lexico aliquo Homerico, fortasse ex ipso Apollonii Sophistae lexico, cuius reliquiae ad nos pervenerunt, certe e simillimo sumptae sunt, quod iam Wilamowitzius cognovit, a ceteris secerni possunt. Nam ne ex antiquiore aliquo lexico has glossas exscriptas esse putemus, eo impedimur, quod in sch. I 292 Apionis testimonium affertur, cuius „glossas Homericas“ Apollonium Sophistam excerpsisse constat. Sed videas exempla, quae quam arte haec scholia cum lexico illo Homerico cohaereant, facile demonstrabunt, quamquam pro talium librorum memoria non miraberis verba non raro differre: schol. de voce αἰγανέη (II 829) simillimum est Apoll. Soph. glossae quae exstat in p. 17, 24 (cf. sch. B 774 unde etiam etym. gen. = etym. m. 28, 30); βίοτος: sch. I 272 = Apoll. S. 51, 21 (cf. Lex. Bachm. 179, 29; Hesych.); ἐντυπάς: sch. I 264 = Apoll. S. 69, 24; ἐπηετίησιν: schol. III 1007 = Apoll. S. 71, 34, unde petitum esse videtur etiam sch. II 987, quo Aristarchi sententia ab Apollonio Soph. prolata refutatur; ἐπιρροθεῖν: sch. II 1193 = Apoll. S. 74, 24; ἐρεμνός: sch. I 219 = Apoll. S. 75, 27 (cf. sch. Δ 167, Orion. 52, 9 ex scholiis Hom.); ἤια: sch. I 1180 et sch. I 659 = Apoll. S. 82, 33; θοοῖς: sch. II 79 = Apoll. S. 88, 6; κερτομίοισιν: sch. I 486 = schol. A 539, Apoll. S. 98, 9; λαρός: sch. I 659 = sch. Townl. P 572, Apoll. S. 107, 5, cum alia eiusdem

vocis interpretatio, ideoque ex alio fonte exscripta, exstet ad Apoll. Rh. v. I 456; μέσαυλον: sch. III 235 = Tschol. Λ 548, sch. P 112, Apoll. S. 111, 24; νήεον: sch. I 403 = Apoll. S. 116, 14; οὐλοχύται: sch. I 409 = Apoll. S. 124, 15; παροίτατος: sch. I 910 = Apoll. S. 128, 5, Bschol. Ψ 459; σκηρίπτω: sch. II 667 = Apoll S. 124, 13, BTschol. N 59; σπιλάδες: sch. IV 788 = Apoll. S. 144, 7 = lex. Bachm. 368, 30; τηλύγετος: sch. I 97; 146; 718 = Apoll. S. 152, 16, sch. Γ 175. Nonnumquam etiam fit, ut in scholiis Apollonianis pleniora servata sint, quae apud Apollonium S. vel in scholiis Homericis aut decurtata aut omnino excisa sunt: ut in glossa de v. μέλαθρον (sch. II 1087, cf. Apoll. S. 110, 30, schol. χ 239), ubi Cratetis nomen, quod apud Apoll. S. deest, in scholiis Apoll. servatur. Etiam docta glossa ad v. I 292, ubi res est de veriloquio vocis κινύρεσθαι, ex eodem lexico petita esse videtur, quamquam nunc ibi nullum illius vestigium exstat: κινύρετο· ἐθρήνει. κυρίως δὲ κινύρεσθαί ἐστιν ἐπὶ βοός, καί εἴρηται παρὰ τὸ κινεῖν τὴν οὐρὰν ἐν τῷ μυκᾶσθαι. καὶ Ἀπίων δὲ εὑρὼν τὴν ἐτυμολογίαν παρὰ Ἀπολλοδώρῳ ταύτην, ὅτι ταῦρος λέγεται παρὰ τὸ τείνειν τὴν οὐράν, μετέθηκε τὴν εὕρεσιν τῆς ἐτυμολογίας. Eadem leguntur in etym. m. 514, 19 s. v. κινυρή (cf. Apoll. S. 99, 28): nescio utrum ex scholiis Homericis an Apollonianis sumpta. Lemma κινυρή certe ad Iliadis v. P 5 spectat; veriloquium autem et apud Apoll. S. et in scholiis ad v. P. 5 excidit. Conferas praeterea sch. Apln. I 1354 (de v. ἐρέουσιν) cum Apoll. S. 76, 1, sch. φ 31; sch. I 305 (ἔται) cum Apoll. S. 78, 7; sch. I 1016 (de vocibus θύελλαι et ἅρπυιαι) cum Apoll. S. 88, 25; schol. IV 1418 et II 485 (λωφήσομεν, λωφήια) cum Apoll. S. 109, 24, schol. Townl. Φ 892, Oxyrynch. pap. II p. 71; sch. I 401 (οἰήϊα) cum Apoll. S. 119, 1; sch. I 431 (περιρρηδής) cum sch. χ 84 (Apoll. S. 130, 7); sch. I 11 (προχοαί) cum sch. P 263; sch. II 627 (στυγέω) cum Apoll. S. 145, 26.

Quae exempla facile augere possim, sed hic id solum ago, ut singulas partes, ex quibus scholiorum corpus compositum est, demonstrem et describam, non ut quamque partem certis finibus definiam et in unoquoque scholio unde petitum sit quaeram, quod quidem alio loco accuratius me perficere posse spero. Neque etiam semper, unde singula petita sint, cognosci omnino potest, ut

haec scholia ad Homericam interpretationem spectantia omnia e lexico illo fluxisse minime necesse est. Immo vero incredibile est interpretes Apollonii, qui quidem ipse ubique in carmine suo controversias virorum doctorum in interpretatione Homeri versantium spectet, non inde ab initio Homericam doctrinam adisse eamque in carmine explicando adhibuisse. Qua de causa etiam illa scholia non ita rara, quibus de usu coniunctionum, praepositionum, adverbiorum similiumque verborum agitur, item e lexico illo Homerico sumpta esse, quamquam credam, pro certo non contendam: cum scholiis Homeri certe aliquo modo cohaerent. Exempla omnia hic subiungo: schol I 265 (ἔπειτα); schol. I 299, ubi Aristarchi sententia profertur, ὅτι ὁ πέρ σύνδεσμος τίθεται πολλάκις ἀντὶ τοῦ γέ καὶ δή . . .; cf. Aschol. A 131, sch. ρ 47, ubi eadem Aristarchi sententia exstat sed nomine eius omisso; aliter autem BTschol. A 131. Aristarchum sequitur etiam Apoll. Dysc. περὶ συνδεσμῶν p. 518, 23 ss. (ed. B). Apud Apollonium Soph. similis glossa nondum exstat. schol. I 406 de v. πρό; cf. Tschol. Π 188 ἄλλως προφόωσδε· ἡ περιττεύει ἡ πρό ὡς „νῆάς τε προπάσας“, ἢ τόπον δηλοῖ . . .; schol. I 631 de v. ἦ = Apoll. S. 81, 27, Aschol. in A 219, unde etiam exscriptum etym. m. 414, 52; schol. I 664 de v. νύν, cf. Apoll. S. 117, 3 (Apoll. Dysc. περὶ συνδεσμῶν p. 525); schol. I 769 et III 37 de v. ὄρρα, cf. ATschol. Π 228; schol. I 998 (cf. III 354) de v. δῆθεν, cf. etym. m. 263, 25 ubi pro παραπλήσιον scribendum est παραπληρωματικόν; schol. I 1349 de v. ὁππότε; schol. II 121 de v. ὁμοῦ = schol. in Il. E 867, unde petitae esse videntur etiam Harpocrationis (137, 26) et Photii glossae de h. v. cum schol. in Apoll. Rh. I 1079 de eadem voce ex alio fonte exscriptum esse videatur; schol. III 322 de v. ποτί, cf. etym. m. 685, 24 s. v. ποτινίσσεται (Il. I 381) . . . τὸ δὲ ποτὶ τὴν πρὸς πρόθεσιν σημαίνει Δωρικῶς; schol. III 422 (πάρος), cf. Apoll. Soph. 128, 2; Lex. Bachm. 333, 28; schol. I 731 (τόσος), cf. Apoll. S. 154, 3; similiter schol. I 938 de v. ὅσσος; schol. I 5 (τοῖος) = etym. m. 761, 18, ubi scholia Homerica exscripta esse videntur.

Eum autem, qui lexico illo Homerico ad scholia augenda usus sit, non ita diligenter munere suo functum esse videmus. Sic scholii ad v. I 272 auctor: τὸ δὲ ἠγηλάζει καὶ ἠγηλάσκαι κατὰ

τοῦ αὐτοῦ πράγματος κεῖται κ. τ. λ. similem sed pleniorem glossam, quam quae apud Apoll. S. 83, 16 (cf. Bschol. B 470) traditur, ante oculos habuisse videtur, sed non observavit ibi dici de vocibus ἠλάσκω et ἠλασκάζω, cum apud Apollonium Rh. ἠγηλάζω exstet. Neque minus inepte adscripsit schol. II 105: λέγεται δὲ λάξ ὁ ὑπὸ τῶν δακτύλων τοῦ ποδὸς ψόφος. ἢ οὕτω· κυρίως τὸ ὑποκάτω τῶν τοῦ ποδὸς δακτύλων λάξ καλεῖται. οὕτως ἀποδέδωκεν παρὰ τῷ ποιητῇ Ποσειδώνιος „λὰξ ποδί κινήσας" ⟨K 158⟩. quocum conferas Bschol. ad K 158: εὐτόνως τῷ δακτύλῳ τοῦ ποδὸς τοῦ κοίλου μέρους ἀψάμενος τοῦ Διομήδους ποδὸς . . . (aliter Apoll. S. 106, 33 = schol. Townl.). Apparet Poseidonium illam vocem λάξ substantivum esse existimasse, quod siquis forte ex Homeri loco colligere poterat, ad Apollonii verba minime quadrat: cf. v. II 106 „τὸν μὲν ὑπὸ στέρνοιο θοῷ ποδὶ λὰξ ἐπορούσας πλῆξε".

Si de eadem voce in scholiorum corpore complura eaque diversa scholia invenimus, hoc certe nos colligere opportet, ea non ex uno eodemque fonte fluxisse posse. De significatione vocis ἐρίπναι versui II 434 hoc scholium ascriptum est: ἐρίπναι δὲ κατὰ μέν τινας τὰ ἀποθραύσματα τῶν ὀρῶν. κατὰ δὲ τοὺς γλωσσογράφους πάντα τὰ ὄρη ἐρίπναι καλοῦνται (sim. sch. II 1247); de eiusdem vocis veriloquio ad v. I 581 haec inveniuntur: ἐρίπνας· ἀπορρῶγας κολώνας, σπήλαια κρημνώδη. λέγουσι δὲ οὕτως καὶ τὰς οἰκίας ἀπὸ τοῦ ἐρηρεῖσθαι. ἐρίπνη δὲ λέγεται ἐπὶ τοῦ ἀκρωτηρίου παρὰ τὸ ἄγαν πνέεσθαι (cf. schol. simillimum in Nicandri Ther. 22; etym. gen. = etym. m. 374, 33 ex Cram. Anecd. Ox. II 437, 18 ἐκλογαὶ διαφόρων λέξεων). Item de usu vocis ἠθεῖαι schol. III 52: προσφώνησις παρ' Ὁμήρῳ νεωτέρων πρὸς πρεσβυτέρους· Ἀπολλώνιος δὲ συλληπτικῇ τῇ φράσει κέχρηται (cf. Apoll. S. 82, 31; schol. in Hom. Ψ 94, X 229); de veriloquio autem schol. II 1219: οἶμαι κατ' ἐπένθεσιν τοῦ η γεγονέναι ὥσπερ καὶ τὸ βαιὸς ἠβαιός, μύω ἠμύω. σημαίνει δὲ κατὰ τὸ πρόχειρον τὸ θεῖε, συγγενές, ἢ τὸ θαυμάσιε, μηδαμῶς ὦ θαυμάσιε ἢ τὸ καλέ. Cf. etym. gen. = et. m. 422, 11 e Choerobosco.

Vocis ὑπερφίαλος in scholiis duo veriloquia leguntur: schol. II 54 ὑπερφιάλοις· ὑπερηφάνοις. ἡ δὲ μεταφορὰ ἀπὸ τῆς φιάλης. τὸ γὰρ πληθύον αὐτῆς ὑπερφίαλον, ἀντὶ τοῦ ὑπέρμετρον. φιάλη δὲ εἶδος λεβητώδους ἀγγείου, quae etymologia a scholiis Homericis

petita esse videtur (cf. sch. Γ 106 cum Cram. An. Ox. I 421, 1 = etym. m. 780, 10; aliter Apoll. S. 158, 30 = schol. χ 289 et sch. ι 106). Contra ad versum I 1333 haec adnotantur: ὑπερφίαλον δὲ ἀντὶ τοῦ ἡμαρτημένον, οἷον ὑπέρφυλον κατὰ κατέμπτωσιν τοῦ α. καταστρέφει δὲ εἰς τὸ οὐ καθήκοντα οὐδὲ νόμιμον, quibuscum plane consentit Orion 154, 28: ὑπερφίαλος τροπῇ τοῦ υ εἰς ι ὑπερφίαλός τις ὢν καὶ ὑπερφυής [1]) (aliter Orion 156, 32 e Philoxeno = etym. 780, 3).

Quae cum consideramus et praeterea permulta alia scholia in derivatione verborum versantia invenimus, quae item artissime cum etymologicorum memoria cohaerent, non temere colligi posse videtur praeter lexicon illud Homericum etiam lexicon aliquod etymologicum unum ex Apollonii interpretibus, quisquis is erat, adisse et eius copiis scholia exornasse. Quamquam id sane concedendum est nonnulla horum scholiorum etiam aliunde sumpta esse posse, ut modo in multis earum glossarum, quas lexico Homerico attribuimus, etiam de veriloquio vocabulorum agi vidimus (cf. e. g. de v. ἐρεμνός sch. I 219; κερτομίοισιν sch. I 486; νήεον sch. I 403; σκηρίπτω sch. II 667; κινύρετο sch. I 292). Sed non raro fit, ut veriloquia scholiorum Apollonianorum cum illis, quae Apollonius Soph. profert, non consentiant, ut inde petita esse nullo modo possint. Accedit quod indoles omnium horum scholiorum, quorum pauca exempla mox afferam, adeo similis est, ut iam inde ex uno eodemque fonte ea fluxisse credendum sit.

De v. ἀδευκής sch. I 1037: ἀδευκέος ἐκτόθεν ἄτης· οὐ προσηνοῦς, ἀπεοικυίας, πικρᾶς. δεῦκος γὰρ τὸ γλυκύ, ὅθεν τὸ Πολυδεύκης· καὶ γὰρ ζῶν εὐεργετικώτατος καὶ ἀποθεωθεὶς ἅμα τῷ ἀδελφῷ διασώζει τὰς ναῦς. ἢ ἀφανοῦς καὶ ἀπροοράτου, παρὰ τὸ δείκω. (cf. etym. gen. = etym. m. 16, 25 ex scholiis Apollon.) ἀζαλέους (sch. II 95): δὲ ἀντὶ τοῦ ξηρούς. ὅθεν τινὲς οὐκ ἀπὸ Ἀζᾶνος βασιλέως ἀλλὰ διὰ τὸ τραχεῖαν εἶναι Ἀζανίαν φασὶ κληθῆναι τὴν Ἀρκαδίαν. τραχεῖα γάρ ἐστι ξηρά. (cf. schol. Dion. Perieg. 1192). ἀζηχέας sch. II 98. Cf. etym. m. 22, 46 = Orion 13, 24 (cf. 8, 5), ubi duo veriloquia exstant, quorum alte-

1) **Collato scholio Apolloniano hoc fere modo Orionis glossam restituemus:** ὑπερφίαλος οἷον ὑπέρφυλος κατὰ κατέμπτωσιν τοῦ α καὶ τροπῇ τοῦ α εἰς ι ὑπερφίαλός τις ὢν καὶ ὑπερφυής.

rum cum schol. Apollon., alterum cum Apoll. S. 11, 32 (cf. T schol. Δ 435, sch. σ 3) consentit. αἴγειρος sch. I 1192 = etym. m. 28, 48—50 (e Choerobosco). ἄροιο (sch. I 297): λάβοις· ὅθεν καὶ τὸν Ἄρη τινὲς ἐτυμολογοῦσιν ἀπὸ τοῦ λαμβάνειν καὶ ἀφελέσθαι τῷ πολέμῳ. cf. etym. m. 140, 16 ss. ἄστυ sch. I 696. Cf. etym. m. 160, 10; Apoll. S. 45, 9; Hesych. s. v. βουπελάται sch. IV 1342 (cf. sch. in Nic. Al. 88). διαγλαύσσειν-γλαυκῶπις sch. I 1280; cf. Orionem 39/40 secundum Soranum, ut docet Meletius 68, 31. διερός-διαίνω sch. I 184; cf. Orionem s. v. δεύειν fortasse secundum Heraclidem, a quo subsequens glossa δικαιοσύνη petita est. ἐγκονεῖν-γόνυ sch. II 812. Cf. Melet. III 129, 4. Aliter etym. m. 237, 11 = Orion. 39, 15 ex Sorano sumptum. καταβλώσκοντας-ψωμός-βλωθρός sch. I 322. Cf. Orion. 37, 10; Eustath. p. 1532, 44 et 986, 16. λαιά sch. III 118. Cf. Melet. 123, 27 = Orion. 92, 22 (ex Sorano) = etym. m. 558, 47. λύγαιος-λυκάβας sch. II 1121 et I 218. Cf. schol. in Hom. τ 306 = ξ 161 = Apoll. S. 109, 11 = etym. m. 571, 20 = Hesych. = Suid. μαστεύω-μαστός sch. I 1351. Cf. etym. m. 574, 179. ὄργια-ὀργάδες sch. I 920. Cf. etym. m. 629, 38 (Cram. An. Ox. II 396, 2). πέπον sch. III 485. Aliter etym. m. 661, 52 ex Bschol. B 235 = Apoll. S. 129, 34. Cf. Cram. An. O. I 353, 11. περιστερά sch. III 549. Cf. etym. m. 664, 53. ῥόπαλον sch. I 1195. Cf. etym. gen. et etym. m. 705, 23; schol. Theocr. p. 308, 18 (Ahr.). σέλματα sch. I 528. Aliter etym. m. 398, 9 et 14 et schol. in Hom. Π 1. ἐσκληῶτες sch. II 53. Cf. Orion. 20, 15 ex Philoxeno (cf. 145, 28 secundum Soranum, et 147, 22). σταλάει sch. IV 1064. συνήμων sch. IV 1210. Cf. etym. m. 735, 22 secundum Photium (p. 188), aliter Apoll. S. 147, 10.

Quamquam persaepe haec scholia cum etymologicorum Graecorum memoria cohaerere vidimus, quae quos auctores secuta sint non ita difficile est cognoscere ex quo tempore Kleistius[1]) de Orionis exscribendi ratione nos docuit et nuper Reitzensteinius etymologicum magnum quasi explicavit, tamen certum auctorem horum scholiorum indagare quaerenti mihi non contigit: fluxisse

1) Cf. Kleist, de Philoxeni Grammatici Alexandrini studiis etymologicis (Diss. Gryphisw. 1865).

autem videntur ex antiquiorum grammaticorum scriptis, cum neque grammatica illa ratio verba e simplicissima forma monosyllaba derivandi neque passiones aut ceterae verborum mutationes adhibeantur, quibus primus Philoxenus aetate Tiberii usus est, sed potius antiqua illa ratio philosophorum [1]).

Sed etiam multa alia scholiis Apollonianis insunt, quae non ad ipsum Apollonium explicandum ab interpretibus collecta, sed e lexicis similibusque libris exscripta esse videntur. Scholia perlustranti praeter ceteros nonnulli loci conspicui erunt, quibus sententiae glossographorum antiquissimorum afferuntur: schol. in v. II 1279 ἐπήβολος δὲ ἀσφαλής. οὕτω καὶ Ἀμερίας ἀπέδωκεν ἐν ταῖς Γλώσσαις, qui Amerias ἐθνικῶν γλωσσῶν scriptor vixit fortasse iam ante Aristarchum [2]). Idem laudatur in sch. II 192 λευκανίην: οἱ μὲν τὸ ἀπηρτημένον τοῦ γαργαρεῶνος. Ἀμερίας δὲ τὸν λαιμὸν καὶ τὸν βρόγχον. (Cf. etym. gen. = etym. m. 561, 55 secundum scholium Apoln.). schol. II 382: λισσῇ δὲ ἀντὶ τοῦ ὁμαλῇ. Ἀμερίας δὲ ἐν Γλώσσαις λισσὸν τὸ ὑψηλὸν ἀποδίδωσιν (etym. gen. = etym. m. 567, 12 ex sch. Apln.) sch. IV 972 χαῖόν ἐστι καμπύλη βακτηρία, ᾗ οἱ ποιμένες χρῶνται. Ἀμερίας δὲ ψιλὴν ἀπέδωκε ῥάβδον. Καλλίμαχος „ἔπρεπέ τοι προέχουσα κάρης εὐρεῖα καλύπτρη, ποιμενικὸν πίλημα· καὶ ἐν χερὶ χαῖον ἔχουσα". καὶ τὸ παρ' Ἀλκμᾶνι δὲ λεγόμενον ἐρυσίχαιον, τῷ χαίῳ ἐρύοντα, ἤτοι ποιμαίνοντα. Alcmanis testimonium plenius a Stephano Byz. ex Herodiano ut videtur affertur. Cf. etiam etym. m. 807, 44 e schol. Apln. Simillimum est initium scholii in v. IV 989 στάχυν ὄμπνιον: πολὺν δαψιλῆ. Φιλητᾶς δὲ ἐν Ἀτάκτοις Γλώσσαις ἀπέδωκεν ὄμπνιον στάχυν τὸν εὔχυλον καὶ τρόφιμον. Κυρηναίων δέ τινες τὸν πλούσιον καὶ εὐδαίμονα ὄμπνιον καλοῦσιν. ἄμεινον δὲ φερέσβιον εἰπεῖν οἱονεὶ ἔμπνοόν τινα ὄντα καὶ ὄμπνιον. De etymologia in extrema parte scholii prolata cf. etym. 625, 39 ss. s. v. ὄμφαλος; schol. in Nic. Al. 7; schol. in Lycophr. v. 1264 (p. 181, 18 ed. Kinkel.).

Sch. II 1005 στυφελήν, τραχεῖαν καὶ σκληράν. οὕτως Κλειτό-

1) De quibus duabus rationibus egit Leop. Cohn „de Heraclide Pontico" in Commentationibus Philol. in honorem A. Reifferscheidii scriptis. Vratisl. 1884.

2) Cf. Wissowa in encyclopaediae vol. I p. 1827.

ριοι λέγουσιν, ὥς φησι Ζηνόδοτος ἐν Γλώσσαις. Κυρηναῖοι δὲ τὴν χέρσον. Sch. II 218 χραίσμετέ μοι: βοηθεῖτέ μοι. τὸ γὰρ χραισμεῖν λέγουσι Κλειτόριοι τὸ ἐπαρκεῖν.

Sch. II 1172. Scholium quod in codicibus in brevius contractum traditur collato etym. gen. (cf. Miller. p. 270) hoc modo restituendum est: στιάων: στῖαι αἱ ψῆφοι παρὰ Σικυωνίοις καλοῦνται. ἡ ἐσχάρα οὖν καὶ ὁ βωμὸς ἐκ ψήφων κατεσκεύαστο. ἢ στῖαι αἱ ψῆφοι [καὶ] [1]) αἱ ποτάμιοι, οἱ νῦν κόχλακες λεγόμενοι. Καλλίμαχος „πολύστιόν τε Μετώπην". Ad idem genus fortasse etiam schol. in v. II 434 de v. ἐρίπναι pertinet, ubi γλωσσόγραφοι commemorantur. Maximi autem interest etiam scholium in v. I 1299 inspicere: λαῖτμα δὲ τὸ κύτος τῆς θαλάσσης καὶ διάστημα, οἱονεὶ λαίτμημα, ἢ παρὰ τὸ λατύσσεσθαι ὑπὸ τῶν κυμάτων, ὅ ἐστι τύπτεσθαι. Σιληνὸς δὲ ἐν Γλώσσαις πέλαγος εἶναι καὶ Εἰρηναῖος ἐν δ̄ Ἀπολλωνίου ἀποδεδώκασιν. De veriloquio vocis in initio scholii prolato cf. etym. m. 558, 51. Silenus autem fuit glossographus antiquus tertii fortasse saeculi [2]). Quae scholia interpretem Apollonii, quisquis is erat, ex ipsis glossographorum illorum scriptis sibi excerpsisse haud ita verisimile est, cum ne antiquissimum quidem, quem novimus, interpretem, Theonem dico, Augusti Tiberiique fere aequalem, hos tam antiquos grammaticos ipsum adisse facile credi possit. Neque igitur de his scholiis, quin e lexico aliquo sumpta sint, dubito.

Est autem alia classis scholiorum, in qua singulae voces Callimachi addito versu explanantur: schol. I 669 ῥικνοῖσι: ῥυσοῖς. ἡ δὲ λέξις παρὰ Καλλιμάχῳ „ναὶ μὰ τὸ ῥικνὸν σῦφαρ ἐμόν". Schol. I 1008 (δύπτω) ubi praeter Callimachum Antimachus laudatur. Sch. I 1297 de v. ὄστλιγγες ubi Callimachi nomen restituere possumus secundum Orion. p. 116, 29: ὄστλιγγες αἱ τρίχες. Καλλίμαχος ἐν ᾱ Αἰτιῶν „αἰὲν ἄλειφα ῥέει"; conferas praeterea schol. Nic. Al. 470 ὄστλιγγας δὲ λέγει τοὺς βόστρυχας. Herodiani testimonium in scholio Apoln. postea additum esse potest. Sch. I 1243 (θὴρ = λέων). Sch. III 1150 (περιπλομένας). Sch. III 1226 (θώρηξ στάδιος). Sch. III 1323 (ἄκαινα). Sch. IV 983 (ἀμφιλαφής).

---

1) Del. Millerus.

2) Cf. Cohn, Gesch. d. griech. Lexikographie in Caroli Brugmanni Gramm. graeca.

Itemque inter se iungenda sunt propter scriptores allatos haec scholia: sch. II 127 πολλ' ἐπιπαμφαλόωντες: πολλὰ ἐπιβλέποντες καὶ μετ' ἐνθουσιασμοῦ. παμφαλᾶν γὰρ τὸ μετὰ κινήσεως ἐπιβλέπειν. κέχρηται δὲ τῇ λέξει καὶ Ἱππῶναξ καὶ Ἀνακρέων. λέγει δὲ καὶ Ἐρύκιος „πάντοσε παμφαλόωντες δινήσαντο πόδεσσι". παραιτητέον δὲ Εἰρηναῖον ἀμφανόωντες γράφοντα καὶ ἐξηγούμενον κτείνοντες. οὔτε γὰρ κέχρηταί τις οὕτω τῇ λέξει οὔτε ἐστὶν ἁπαξαπλῶς τοῦ ποιητοῦ. Sch. III 106 de voce ῥαδινός ubi Anacreon Ibycus Stesichorus commemorantur. Sch. IV 1348 στέρφεσι: τοῖς δέρμασιν. ἔνθεν καὶ στερφῶσαι. Ἴβυκος δὲ στερφωτῆρα στρατὸν εἴρηκε τὸν ἔχοντα δέρματα. Subsequitur disputatio de loco aliquo Aeschyli, utrum μελανοστέρφων scribendum sit an μελανοστέρνων. Simillimum est schol. in v. I 757 de vocum πλήμνη et πλήσμη differentia, ubi eodem modo de varia scriptura Hesiodi annotatur.

Sunt praeterea nonnulla scholia doctissima, quae ad Didymum aliquo modo spectant itemque e lexico aliquo petita esse videntur. Schol. I 1134 de v. ῥόμβος, quod scholium completur altero v. IV 143 ascripto, ubi eadem fere traduntur; sed cum altero hoc loco non ῥόμβος sed ῥυμβόνες explicetur, ea pars scholii, quae in utroque loco exstat, e priore in alterum translata esse videtur. De auctore huius adnotationis ipsis scholiis docemur (I 1134) ... ὡς καὶ Εὔπολις ἐν Βάπταις καὶ Δίδυμος. Similia inveniuntur apud Hesychium: ῥόμβος· ψόφος, στρόφος, ἦχος, δῖνος, κῶνος. ξυλήριον, οὗ ἐξῆπται σχοινίον καὶ ἐν ταῖς τελεταῖς δινεῖται ἵνα ῥοιζῇ, et apud Photium s. v. ῥόμβος· ὃ ἔχουσιν οἱ ἐπιθειάζοντες ὡς τύμπανον. οὕτως Εὔπολις (cf. supra p. 19 ss.).

Sch. IV 973 de v. ὀρείχαλκος: Aristotelis, Stesichori, Bacchylidis, Socratis, Theopompi testimoniis allatis additur sub finem: οὕτως ἦν ἐν τῇ Κωμικῇ λέξει τῇ συμμίκτῳ (cf. Maur. Schmidt. Didym. p. 70/1). Etiam haec glossa quamquam pessime corrupta apud Hesychium redit: ὀρειχάλκων· τῶν εικῇ διαδεδονημένων εἶναι τοὔνομα. οἱ δὲ πλείους ὑπάρχειν αὐτόν. ἔστι δὲ καὶ ὕλη ὁμοία χαλκῷ.

Sch. IV 1058 (στρεύγομαι unde στράγξ derivatur), sumptum item ex Didymo: οὕτω Δίδυμος. Eadem ad verbum fere praebet Hesychius: στρεύγεται· ταλαιπωρεῖται, καταπονεῖται,

τρίβεται, τριφημερεῖ. στρεύγομαι· διατρίβω, ἀφ' οὗ καὶ στράγξ ἡ μετὰ βραχὺ πρόεσις[1]). στρεύγει προσδιατρίβει.

Schol. I 972. De vocis ἴουλοι significationibus; cf. sch. II 43 e priore loco exerptum. Videmus hic Didymum sententiam Eratosthenis impugnantem (οὐκ ἔστι δέ φησι Δίδυμος, ἀλλ'...), qua de causa omnia, etiam Eratosthenis versus, ab ipso Didymo petita esse colligimus. Sumptum autem est hoc scholium ex libro Didymi περὶ ποιητῶν λυρικῶν[2]), ad quem librum etiam Hesychii glossa spectat: ἴουλοι αἱ πρῶται τῶν τριχῶν ἐκφύσεις ἀπὸ τοῦ ἰέναι αὐτὰς οὔλας. ἴουλοι δὲ καὶ οὗλος αἱ ἐκ τῶν δραγμάτων συναγόμεναι δέσμαι, καὶ ζῶον πολύπουν, ὅπερ ἡμεῖς λέγομεν ὄνον. τινὲς δὲ καὶ ἐπὶ τὸ ἐπὶ ταῖς ὑδρίαις γινόμενον ὄνον πολύποδα καὶ συστρεφόμενον ἴουλον καλοῦσιν. Apud Photium de hac voce tres glossae exstant, quarum prima alteraque cum Hesychio plane concinunt, nisi quod Photius plura praebet, tertia e lexico Bachm. petita est. Quemadmodum saepe glossae lexicorum decurtatae sint et quam caute eis utendum sit, denuo hic videmus: apud Phot. enim leguntur καὶ ᾠδῆς τι γένος ἴουλος καὶ ὁ προφιλὴς τῇ Ἀρτέμιδι, quae emendare fortasse frustra conaremur, nisi in scholiis Apollonianis traditum esset: οὐκ ἔστιν δέ φησι Δίδυμος, ἀλλ' ὕμνος εἰς Δήμητρα, ὡς ὁ οὔπιγγος παρὰ Τροιζηνίοις εἰς Ἄρτεμιν.

Didymi κωμικὴ λέξις praeterea commemoratur in sch. IV 1614, ubi res est de v. ὁλκαίη, sed non totum scholium ad Didymum redit ut ipsis verbis scholii apparet. Imprudenter autem hic interpres auctorem suum secutus est, nam cum in verbis poetae ὁλκαίῃ recte traditum sit, in scholio ἀλκαία explicatur. Aliter enim vox ὁλκαίη explananda erat, similiter fortasse atque in scholio ad Nicandri Ther. v. 123 fit: ὁλκαίην δὲ τὴν οὐρὰν λέγει παρὰ τὸ ἕλκεσθαι ὑπὸ τοῦ ὅλου σώματος. Similia atque in schol. Apln. leguntur in lex. Bachm. 76, 19, brevissime etiam apud Hesychium. Quaerendum autem est, unde haec omnia in scholia devenerint: utrum ipsum Didymum adierit, qui scholiis haec inseruit, an lexici alicuius copias expilaverit. Iam scholio modo proposito (IV 1614), in quo Didymi sententia una cum aliis, quae Didymi

1) Πρόεσις pro eo quod est in scholiis πρόθεσις, etiam in schol. Flor. exstat.

2) Cf. Kaibel, Proleg. περὶ κωμῳδίας p. 39.

esse non videntur, profertur, scholiastam lexicon aliquod adhibuisse, in quo Didymi sententiam cum aliorum coniunctam invenerit, demonstratur. Accedit, quod omnes fere hi loci apud Hesychium simillime redeunt, ut communi fonte usum esse et scholiastam Apollonii et Hesychium verisimile fiat. Hesychius autem Diogenianum, Diogenianus Pamphili opus illud immane excerpsit. Opinari igitur fortasse licet etiam interpretem aliquem Apollonii hoc opus in commentariis faciendis adhibuisse.

Ad idem lexicon, quodcunque id erat, praeterea haec scholia redire videntur: sch. I 1337 de voce ἐχυδάσσαο, quocum compares schol. in Soph. Ai. 722 (= Suid.), quod item Didymi esse videtur [1]).

Sch. I 1089 de v. ἄφλαστον (cf. supr. p. 25 s.). Similia de hac voce traduntur in ABschol. O 717; Apoll. S. 49; lex. Bachm. 172, 10; Hesych. Etiam haec per Didymum in lexica devenisse videntur, qui quidem apud Eustathium 1039, 36 nominatur [2]).

Sch. IV 477 ἐξάργματα (cf. supr. p. 26); similiter Hesych. s. v. μασχαλίσματα = Phot. = Suid. μασχαλίσματα; cf. schol. La. in Soph. El. 445 = Suid. s. v. μασχαλισθῆναι; Suid. ἐμασχαλίσθη; quae omnia primitus ab Aristophane Byzantio petita sunt [3]), in lexica autem etiam per Didymum pervenisse possunt, quippe qui saepius Aristophanis Byzantii doctrinam posterioribus tradiderit [4]).

Eodem modo ad lexicon illud refero schol. III 382 de v. αὐτόγυον, quod Eratosthenem sequitur (non in omnibus rebus Pollux I 252 consentit); schol II 280 de v. κύρβεις, ubi Aristophanes Apollodorus Eratosthenes afferuntur [5]); postremo sch. I 565 et 566 de mali partibus, ubi idem Eratosthenes laudatur (cf. supr. p. 10 s.).

Nonnulla alia scholia subsequentur, quae cum lexicis Atticistarum artiore quodam vinculo cohaerere videntur, quaeque propterea etsi dubitanter hic compono: sch. III 1270 (βαλβίς), quocum

1) In etym. gen. = etym. m. 325, 3 schol. Apln. exscriptum est. Cf. praeterea Kaibel, Com. Gr. frgm. I, 1 p. 92.

2) Cf. M. Schmidt, Didymus p. 79; Schwabe p. 62 sq.

3) Cf. Kaibel ad Soph. El. 445.

4) Nauck Aristoph. Byz. frgm. p. 224 no. 68.

5) M. Schmidt l. c. p. 59.

conferas lex. Seg. V 220, 31; Eustath. in Hom. 1404, 55 ex Aelio Dionysio (p. 127 Schw.).

Sch. II 569 (βομβεῖν) cf. lex. Seg. V 220, 7, cui simillima sunt, quae paulo plenius in etym. gen. s. v. Βομβυλιός (cf. etym. m. 204, 54), e lexico Photii (οὕτως εὗρον εἰς τὸ ῥητορικόν) exscripta sunt [1]).

Sch. I 881 (λείρια), cf. Phot. λίριον κοινῶς τὸ ἄνθος καὶ ἰδίως τὸν νάρκισσον λέγουσιν Ἀττικοί, cum alia eiusdem verbi explicatio tradatur apud Apoll. S. 107, 24; etym. m. 652, 33 = Cram. Anecd. Ox. I 259, 11; Eustath. in Hom. 395, 11 et 1295, 25.

Sch. I 1075 πελανοί: cf. lex. Bachm. 333, 25 = Phot., qui pleniora praebet, = Suid. 170, 8. Auctor lexici Bachm. sua e lexico Platonico sumpsisse videtur [2]). Theocriti locus in solis scholiis Apollonianis affertur. Cum schol. Apln. non cohaerent: sch. Eur. in Orest. 220 (cf. sch. in Rhes. 430) = etym. m. 659, 20 (e schol. Eur.) = Harpocr., qui Didymum laudat, = Suid. secundum Harpocr.

Sch. II 843 φάλαγξ δὲ τὸ ἐπίμηκες καὶ στρογγύλον ξύλον. Cf. Phot. s. v. φάλαγξ ... ἔνιοι καὶ τὸ στρογγύλον ξύλον, qui fortasse Aelio Dionysio usus est (cf. Eustath. 924, 9; Schw. p. 214 sq.). Sed etiam apud Hesychium similia inveniuntur: φαλάγγια στρογγύλα ξύλα καὶ σύμμετρα. Ἀττικοὶ δὲ κόρακας.

Ac postremo, qui in schol. I 1265 de differentia vocum οἶστρος et μύωψ Sostratum testem attulit (cf. sch. III 276), eundem etiam scholii in v. II 89 de tauris pugnantibus auctorem esse, ubi Antipatri, medici eiusdem fortasse temporis [3]), testimonium affertur [4]), credam.

---

1) Photius igitur lex. Seg. V glossam exscripsit. Cf. Wentzel, Beitr. z. Gesch. d. griech. Lexikographie in Sitzungsber. d. Berl. Ak. 1895 vol. I p. 484.

2) Cf. Timaei λέξεις Πλατωνικάς p. 111 ed. Becker.

3) Cf. Wellmannum in encylopaediae a Pauly-Wiss. editae vol. I p. 2517.

4) Opinari non sine ratione videmur hunc locum scholiorum iam Vergilium ante oculos habuisse, qui, ut iam Heynius adnotat, in Georg. v. III 219 „pascitur in magna Sila formosa iuvenca“ et cet. ad Apollonii v. III 89 „ἠύτε ταύρω φορβάδος ἀμφὶ βοὸς κεκοτηότε δηριάασθον“ spectare

Eiusdem interpretis etiam schol. in v. I 1049 (cf. sch. II 328) esse potest, ubi res est de accipitre (κίρκος). Testimonia afferuntur e libro Callimachi περὶ ὀρνέων et Aristotelis hist. anim. (VII, 2); fortasse etiam schol. IV 12, ubi disputatur, quomodo κεμάς et νεβρός differant, quae disputatio non ex ipso Aristophanis Byzantii libro περὶ ὀνομασίας ἡλικιῶν petita esse potest; nam Aristophanes secundum Eustathium p. 711, 30 (in v. Θ 248)[1]) νεβροὺς iunioris aetatis quam κεμάδας esse statuit (cf. Cram. Anecd. Par. III p. 229 sq.; etym. m. 503, ubi initium glossae e scholiis Homericis sumptum est), cum scholiasta Apollonii secundum veriloquia vocabulorum minorem κεμάδα esse contendat (cf. etym. gen. = etym.

---

videtur. Sed cum Apollonius certamen taurorum brevissime tantum tangat, Vergilius multo fusius atque ornatissime hanc consuetudinem taurorum describit plenius quidem sed similiter ac fit in schol. ad Apoll. v. II 89: Ἀντίπατρος δὲ ἐν τῷ περὶ ζώων φησὶ τὸν ἀλκιμώτατον ἐν τῇ ἀγέλῃ ταῦρον πρῶτον μίγνυσθαι πάσαις ταῖς βουσίν, μὴ ἐπιτρέπειν δὲ ἑτέρῳ. ἐὰν δέ τις πεποιθὼς τῇ ἰδίᾳ δυνάμει ἀνθίσταται αὐτῷ καταγωνισάμενος τοῦ λοιποῦ πλησιάζει ταῖς βουσίν. Confirmatur haec opinio Vergilium ut postea Valerium Flaccum praeter ipsius Apollonii verba etiam scholia Theonis inspexisse alio loco, Aen. v. VIII 422 sqq.: narratur a poeta Volcanum de caelo in Volcaniam insulam prope Siciliam sitam descendere, ut rogante Venere Aeneae arma fabricet (cf. Apoll. Rh. III 41 sqq; IV 761 sqq.; 924 sqq.); deinde pergitur: „Hoc tunc ignipotens caelo descendit ab alto. Ferrum exercebant vasto Cyclopes in antro, Brontesque Steropesque et nudus membra Pyracmon. His informatum manibus iam parte polita Fulmen erat, toto genitor quae plurima caelo Deicit in terras, pars imperfecta manebat"; quae translata esse ex Apoll. vv. I 730 sqq. apparet: ἐν μὲν ἔσαν Κύκλωπες ἐπ' ἀφθίτῳ ἥμενοι ἔργῳ, Ζηνὶ κεραυνὸν ἄνακτι πονεύμενοι. ὃς τόσον ἤδη παμφαίνων ἐτέτυκτο μιῆς δ' ἔτι δεύετο μοῦνον ἀκτῖνος, τὴν οἵγε σιδηρείῃς ἐλάασκον σφύρῃσιν, μαλεροῖο πυρὸς ζείουσαν ἀϋτμήν. Verg. igitur Apollonii vv. ad verbum fere expressit additis tantum nominibus Cyclopum, Brontae, Steropae, Pyracmonis. Ipsa autem haec nomina praeter Pyracmonis, quod excidisse potest, in schol. ad Apoll. v. I 730 adduntur: Κύκλωπες· οὗτοι γάρ, Βρόντης καὶ Στερόπης, τῷ Διὶ τὸν κεραυνὸν ἔδωκαν. καὶ Ἡσίοδος „οἳ βροντήν Ζηνὶ δόσαν τεῦξάν τε κεραυνόν". Atque praeterea considerantes Vergilium Theocr., Nicandr. (in Georg. libr.) Apollon. Rh. praeter Homerum maxime secutum esse, i. e. eosdem poetas, quos Vergilii fere aetate Theonem commentariis instruxisse scimus, facere vix possumus, quin Vergilium et Theonem aliquo modo inter se cohaerere statuamus.

1) Cf. Nauck, Aristoph. Byz. frgm. p. 122 sqq.

m. l. c., ubi glossae altera pars ex scholiis Apln. exscripta est). Quibus cum scholiis coniungenda sunt sch. IV 175 (ἀχαιϊνέη) cf. Eustath. l. c. et etym. gen. = etym. m. 180, 31 ex Oro; supra p. 22) et sch. II 279 de v. πρόξ, unde sumptum est etym. gen. = etym. m. 689, 24; itemque nonnulla alia scholia, quibus de beluarum natura observationes aliquae afferuntur, quamquam haec omnia iam ad ipsum poetam interpretandum spectant, non ut glossae illae e lexicis petitae ascripta sunt; cf. schol. II 28; 125; 130; 134; 269.

Hae fere classes eorum scholiorum, quae in singulorum verborum interpretatione versantur, dignosci posse videntur, quarum de singulis exemplis, et quomodo magnum illum numerum qui restat scholiorum in eas distribuas, interdum licet dubites, classes ipsas satis certo cognosci posse confido. Neque erit inutile nunc quidem quaerere, cum nomina interpretum Apollonii tradita sint, num haec vel illa certo alicui homini attribuere possimus. De scholio modo allato (I 1265 μύωψ) satis certo contendi potest eius auctorem esse Theonem, antiquissimum eorum quos novimus interpretum Apollonii, cum ad verbum fere redeat in schol. Theocr. (VI 28 p. 231, 6 sqq. Ahr.): τὸν οἶστρον τοῦ μύωπος Σώστρατος διαστέλλει. οἶστροι δέ εἰσι πολέμιοι τοῖς βουσίν. ὅταν γὰρ δάκνωσιν αὐτοὺς οἰστρεῖν ποιοῦσι καὶ τρέχειν πολλὴν ὁδὸν μετὰ βοῆς ἐν τοῖς πεδίοις καταλιπόντας τὸν νομόν. Qui Sostratus scripsit libros περὶ ζώων et περὶ βλητῶν ἢ δακέτων, et praeter duos Athenaei locos et unum testimonium in Aeliani varia historia tantum in scholiis Apollonianis, Theocriteis, Nicandreis (sch. in Th. 565, 760, 764) commemoratur. Neque igitur dubitabimus, quin etiam cetera, quae cum hoc scholio coniunximus, Theoni vindicemus, cum Theoni studium medicorum suae aetatis aliorumque physicorum optime conveniat, quippe qui carmina Nicandri et Theocriti, qui plantas herbasque omnis generis in locis describendis enumerare solebat, interpretatus sit.

De tempore autem, quo glossae illae Homericae additae sint, certius quicquam non contendam: sane ante Sophoclem, Apollonii interpretem, in scholia devenisse non possunt, cum Apollonius Sophista lexicon suum Homericum circa finem primi p. Chr. saeculi composuerit, sed utrum ipse Sophocles haec addiderit, an interpres aliquis inferioris aetatis, is fortasse, qui quarto fere

saeculo corpus scholiorum, quod nos habemus, confecit, hoc dignosci non posse videtur.

In ceteris scholiis ut firmo fundamento nitamur, ab eis locis, ubi ipsa nomina interpretum appellantur proficiscendum est. Iam vidimus in schol. I 1299 de v. λαῖτμα sententiam Sileni, glossographi antiqui, ab Irenaeo proferri: Σιληνὸς ... καὶ Εἰρηναῖος ἀποδεδώκασιν, nam sic saepissime in scholiis lexicisque coniunctione illa καί utuntur[1]). Neque igitur audacius concludamus etiam ceteros glossographorum antiquorum locos propter magnam horum scholiorum similitudinem ab eodem grammatico, i. e. ab Irenaeo esse exscriptos. Sed dicenti, non esse veri simile Irenaeum ad glossographos tam antiquos confugisse, idem quod iam supra respondebo, ne Theonem quidem hoc fecisse credibile esse: talia potius e lexico aliquo petita sunt. Atque eritne audacius etiam hic de Pamphili opere cogitare? Quem quidem glossographos antiquos diligentissime excerpsisse per Athenaeum, qui eum sequitur et eosdem quos scholiasta Apollonii glossographos saepius affert, satis scimus. Quae Irenaei additamenta postea Sophocles, quem iam saepius Irenaei commentariis utentem vidimus (cf. supra p. 32), exscripsit et in suum commentarium transtulit. Etiam certior fit haec opinio eo, quod nonnullis locis ei interpretationi, quam Irenaeo attribuimus, alia opposita est. Sic in schol. IV 989 (στάχυν ὄμπνιον) allata explicatione glossographorum pergitur: ἄμεινον δὲ φερέσβιον εἰπεῖν, οἱονεὶ ἔμπνοόν τινα ὄντα καὶ ὄμπνιον, i. e. interpretatio ad vocis veriloquium spectans. Eodemque modo in schol. I 1299 (λαῖτμα) ante Irenaei explicationem altera item ex etymologia petita exstat. In sch. IV 972 (χαῖον) Ameriae explicationi altera opponitur e Callimacho et Alcmane probata; in sch. II 1172 (σῖαι) praeter Sicyoniorum usum altera explicatio Callimachi testimonio confirmata exstat (ἢ σῖαι αἱ ψῆφοι αἱ ποτάμιοι..); cf. schol. II 382 λισσή ἀντὶ τοῦ ὁμαλή. Ἀμερίας δὲ ...; sch. II 192 λευκανίην οἱ μὲν ... Ἀμερίας δὲ ...

Itaque cum in sch. IV 989 et sch. I 1299 viderimus Sophoclem explicationi verborum a glossographis petitae alteram ad

---

1) Cf. e. g. sch. I 1134 ... ὡς Εὔπολις ἐν Βάπταις καὶ Δίδυμος vel schol. I 551 Ἀρμενίδας δὲ ἐν τοῖς Θηβαϊκοῖς ... καὶ Ἀλέξανδρος ἐν ᾱ Κορίννης ὑπομνημάτων.

veriloquium spectantem opposuisse, etiam cetera scholia illa etymologica, quae supra descripsimus, eidem grammatico vindicemus; neque aliter res est de glossis illis, in quibus Callimachus testis affertur, cum item bis (sch. IV 972; II 1172) sententiae Ameriae Callimachi locum oppositum esse viderimus. Sed alia quaestio est, quis haec scholia corpori, quod nos habemus, inseruerit, alia, quis interpretum Apollonii eorum auctor sit. Non enim res eadem est, quae in scholiis Homericis, ubi quattuor illorum grammaticorum commentarii postea ab homine aliquo, quem non novimus, in unum compositi sunt, cum admodum dubium sit, an omnino ille, qui corpus scholiorum Apoln. confecit, ipse Theonis et Lucilli, qui in subscriptione appellantur, commentarios ante oculos habuerit[1]. Id certe permultis etiam locis observare possumus, Sophoclem praeter Irenaeum etiam opera ceterorum interpretum antiquorum adhibuisse. Qua re etiam de scholiis etymologicis, quae modo commemoravimus, parum credibile est Sophoclem haec de suo ipsum addidisse. Nam cum ante II p. Chr. saeculum non scripserit, facere non potuit, quin in verbis derivandis passiones mutationesque omnemque illam Philoxeni rationem adhiberet. Quid autem quod nunc nonnunquam scholia Apln. cum scholiis Theocr. ceterisque consentiunt?

Cf. sch. IV 1342 βουπελάται: οἱ βουκόλοι· εἴρηται ἤτοι τοῦ $\overline{\pi}$ περισσεύοντος (βουελάται γάρ εἰσιν) ἢ παρὰ τὸ πέλας τῶν βοῶν εἶναι ὃ καὶ βέλτιον = schol. in Nic. Al. 38 βουπελάται δὲ οἱ βουκόλοι παρὰ τὸ πλησιάζειν ταῖς βουσὶ καὶ κολλᾶσθαι αὐτοῖς. Schol. I 581 (ἐρίπναι) cf. schol. in Nic. Th. 22: ἐρίπνην τὴν ἀκρώρειαν λέγει παρὰ τὸ περιπνέεσθαι, οἷον πολλὰ πνέεσθαι, ἢ τὴν κοιλότητα παρὰ τὸ ἐριπέσθαι, ἤγουν πεσεῖν καὶ κοιλωθῆναι, ὃ νῦν σημαίνει. Sch. I 1195: ἐτυμολογοῦσι δὲ παρὰ τὴν ῥοπὴν καὶ τὸ ἀλοιᾶν. Cf. sch. in Theocr. p. 308, 18: ῥόπαλον δέ ἐστιν ἀμυντήριον καὶ ἑτερορρεπές, ἐξ ἑνὸς μέρους ῥοπὴν ἔχον καὶ βάρος. Schol. de v. καχλάζω, quod supr. (p. 28) ex etym. gen. recuperavimus, quocum conferas schol. Theocr. p. 224, 21: καχλάζοντα ἀντὶ τοῦ ἠχοῦντα. ὁ τρόπος ὀνοματοποιία· ἢ καχλάζειν τὸ ψοφεῖν τὸ κῦμα φερόμενον ἐπὶ τοὺς κάχληκας (κάχληκες δέ εἰσιν

1) Cf. Wilamowitz. Eur. Heracl. I p. 187; Susemihl, vol. I p. 390 no. 75.

αἱ χερμάδες λίθοι). Postremo de etymologia vocis ὄμπνιος, quae in sch. IV 989 profertur, conferas praeter etym. m. 625, 39 etiam schol. in Lycophr. v. 1264 p. 181, 18 ὀμπνίαν δὲ τὴν συντελοῦσαν πρὸς τὸ ζῆν, παρὰ τὸ πνέω, ἐξ οὗ πλουσίαν et schol. in Nic. Al. 7.

Talia autem a Theone aliena non fuisse scholio Theocriteo ostenditur, quod in etym. m. 160, 30 (cf. Gaisf. not. in v. 27 et 28) servato nomine Theonis traditur: γριπεὺς ὁ ἁλιεύς. παρὰ τὸ γρῖπος τὸ δίκτυον παρωνύμως γριπεύς· γρῖπος δὲ παρὰ τὸ ἀγρεῖν οἷον ἄγριπος ἐνδείᾳ τοῦ α· ἀγρεῖν γὰρ τὸ λαμβάνειν. οὕτω Θέων ἐν τῇ ὑπομνήσει Θεοκρίτου (sch. Th. 50, 11); vel scholio in Callimachi Αἴτια, quod etym. m. 160, 30 (s. v. ἀστυρόν) servatum est ascripto nomine Theonis, quae exempla e Reitzensteinii etymologico genuino augeri fortasse possunt [1]). Eodem modo etiam scholia illa, in quibus Callimachus testis affertur, ad Theonem redire possunt, quamquam certum indicium adhuc non inveni. Theoni collatis scholiis Theocriteis etiam sch. I 972 attribuere possumus, ubi in verbis poetae ἰσόν που χαχείνῳ traditur, in scholiis autem varia scriptura ἁρμοῖ που χαχείνῳ servata est: ἰσόν που χαχείνῳ: ἀντὶ τοῦ νεωστί... γράφεται δὲ „ἁρμοῖ που χαχείνῳ ὑποσταχύεσχον“ ἀντὶ τοῦ νεωστὶ ὑπηύξανον, ὑπήνθουν. Monendum est etiam initium scholii ad variam scripturam, non ad verba in codicibus tradita spectare. Quocum conferas sch. Theocr. IV 50 ἁρμοῖ εἰ μὲν ψιλοῦται, τὸ ἀρτίως καὶ νεωστὶ σημαίνει, εἰ δὲ δασύνεται τὸ ἡρμοσμένως, quod scholium Theonis esse docemur etym. magno (144, 50), ubi haec sunt: ἁρμῷ παρὰ τοῖς Συρακοσίοις διὰ τοῦ οι γράφεται· ἐκεῖνοι γὰρ ἁρμοῖ λέγουσι κατὰ συστολὴν τοῦ ω εἰς τὸ ο, ὡς παρὰ Καλλιμάχῳ „ἁρμοῖ γὰρ Δαναῶν γῇ ὡς ἀπὸ βουγενέως“. σημαίνει τὸ ἀρτίως ἢ ἁρμοδίως „ἁρμοῖ που χἀκείνῳ ἐπέτρεχε λεπτὸς ἴουλος“. οὕτω Θέων ὁ Ἀρτεμιδώρου. προστίθησι δὲ ὅτι τὸ ἁρμοῖ ψιλούμενον σημαίνει τὸ ἀρτίως, δασυνόμενον δὲ τὸ

---

1) Theonis igitur fortasse est etiam schol. IV 1317 ἀτύζω παρὰ τὴν ἄτην γίνεται ῥῆμα ἀτῶ, οὗ παράγωγον ἀτύω, ὡς ὀλῶ ὀλύω καὶ ὀλλύω· περισσεύσαντος δὲ τοῦ ζ ἀτύζω ὡς καὶ παρὰ τὸ ἀτίω ἀτίζω. Quocum conferas etym. m. 168: ἀτύζων „ὁ δ᾽ ἠέρα παῦρον ἀτύζει οἷα κατηβολέων“ (Nic. Al. 193—4) ἀντὶ τοῦ καταπίπτων σώματι καὶ ψυχῇ „ψυχῇ δ᾽ ἀϊδωνέα λεύσσει“. ἐὰν ἀτύζων ἀφροντιστῶν. ἐὰν δὲ ἀτίζων ἄτῃ περιφερόμενος καταπίπτων. οὕτως εὗρον ἐν ὑπομνήματι Νικάνδρου ἐν Θηριακοῖς.

ἁρμοδίως. Videmus igitur ex hoc Apollonii scholio Theonem etiam arti criticae operam dedisse, neque vero propterea omnes eos locos scholiorum, quibus de variis scripturis agitur Theoni vindicare possumus, cum etiam reliqui interpretes in hac arte versentur, velut in sch. II 127, ubi Irenaei scriptura ἀμφανόωντες pro eo quod nunc legimus ἐπιπαμφαλόωντες a Sophocle vehementer vituperatur refutaturque, vel schol. I 1165 (cf. supr. p. 37), ubi Lucillum scripturam ἠρίον pro τε ῥίον probare studentem videbamus. Contra scholia illa cum Didymi doctrina cohaerentia (p. 53 sqq.), quae e lexico aliquo fluxisse credebamus, revera ad Theonem referri non posse, hoc nunc confirmatur coll. sch. Theocr. de v. ἴουλος (sch. VI 42 p. 326, 9 sq.). Nam quae hic secundum Apollodorum proferuntur „καθάπερ ἐν μὲν θρήνοις Ἰάλεμος, ἐν δὲ ὕμνοις Ἴουλος, ἀφ' ὧν τὰς ᾠδὰς αὐτὰς καλοῦσιν, οὕτω καὶ τῶν θεριστῶν ᾠδὴ Λυτιέρσας", scholium Theonis est, a quo plane diversa sunt quae e Didymo in schol. Apln. I 973 de eadem voce proferuntur, cum schol. IV 1304 ἰήλεμον ἀντὶ τοῦ θρῆνον. εἴρηται ἀπὸ Ἰαλέμου τοῦ Μούσης παιδός propter schol. Theocr. similitudinem Theonis esse potest.

Eam autem classem scholiorum, si omnino recte hanc classem secrevimus, quae cum lexicis Atticistarum aliquo modo coniuncta esse videbatur, Irenaeo attribuere vix sit maioris audaciae, quem ipsum atticistam fuisse satis scimus (cf. p. 32).

Ceterum non solum Theonem et Irenaeum sed etiam Lucillum in verborum interpretatione esse versatum, si omnino testimonio opus est, demonstratur sch. in v. I 1083 ἀδινὰ κνώσσοντας· ἐφύλαττον μεγάλως καὶ βαθέως ὑπνοῦντας. ὁ δὲ Ταῤῥαῖος λεπτὰ κοιμωμένους καὶ οὐ κατὰ βάθος.

Tractatis iam glossis, quae crudae e lexicis vel aliunde petitae esse videntur, quaeque ad sententiam poetae interpretandam aut parvum aut nihil proficiunt, ita ut nonnunquam etiam quae in locum Apollonii, de quo res est, omnino non cadant scholiis addita sint, venio nunc ad eos locos scholiorum, quibus magis ad usum sententiamque ipsius poetae spectatur.

Primum igitur satis magnum numerum scholiorum dignoscere possumus, quae item ad lexicon illud Homericum redire videntur, nisi quod, ubi in lexico illo complures unius vocis significatus enumerantur, in scholio Apolloniano addito νῦν δέ vel

sim. ea significatio notatur, qua Apollonius in loco, de quo agitur, utitur. Cf. e. g. sch. II 19 ἀπηλεγέως: σημαίνει μὲν καὶ τὸ ἀληθῶς καὶ τὸ ἁπλῶς, ἔτι δὲ καὶ τὸ σαφῶς, νῦν δὲ ἀντὶ τοῦ ἀποτόμως· ἐπιφέρει γὰρ „ἀλλά τοι οὔπω νοέω". Cf. Apoll. S. 38, 22: ἀπηλεγέως ἀπολελεγμένως, ἀποτόμως. Sch. I 1134 βηταρμός... λέγει δὲ νῦν τὴν πυρρίχην ὄρχησιν (= Apoll. S. 51, 16; sch. ϑ 250; Lex. Seg. V 226, 11). Sch. I 313 ἔμπης; cf. Apoll. S. 67, 24. Sch. I 421 ἐπίβαθρα; cf. Ap. S. 72, 14. Sch. II 77 de vocum ϑάρσος et ϑράσος differentia, et schol. II 117 ex Asch. in Hom. E 2. Sch. II 49 ὀρέχθει = Apoll. S. 122, 23 et 122, 27. Sch. III 802 φωριαμόν· νῦν τὴν κοιτίδα (parva cista) λέγει. σαφὲς δ' ἐκ τοῦ ἐνθεμένη ἐπὶ γούνασιν.... Scholium sumptum esse videtur ab Apoll. S. 165, 33, ubi praeter alia idem atque in schol. Apln. veriloquium omisso quidem testimonio Eratosthenis profertur (cf. schol. in Hom. Ω 228). Sed in hoc loco Homeri s. v. φωριαμῶν magnae arcae, non cistae parvae intellegendae sunt, ut donorum magnitudine multitudineque, quae Priamus ex arcis illis promit, demonstratur. Neque vero esse videtur, quod eundem interpretem, qui ceteras glossas e lexico illo Homerico exscripsit, etiam modo commemoratas addidisse negemus. Sed alius indolis nonnulla scholia sunt, in quibus de discrimine inter usum Homericum et Apollonianum intercedente observatur, quamquam etiam haec cum scholiis Homericis vel lexico similitudine aliqua nonnumquam cohaerent: sch. II 1199 (cf. sch. II 56) ἀτεμβόμενος: οὐχ Ὁμηρικῶς ἀντὶ τοῦ στερισκόμενος. κεῖται γὰρ νῦν ἐπὶ τοῦ δυσχεραίνων καὶ μεμφόμενος ἐπὶ τοιοῦτον αὐτοὺς στόλον στέλλεσθαι (cf. Apoll. S. 46, 24). Sch. IV 820 ἀνέμων ἀΐκας: αἱ ἐν τῷ πολέμῳ ἐφ' ἑκατέρᾳ κλίσεις (cf. Apoll. S. 15, 15, schol. O 709) ὁ δὲ Ἀπολλώνιος τὰς ἀντιπνοὰς τῶν ἀνέμων εἴρηκεν. — Sch. IV 1558 de v. ἐπιίστορα, ubi initium = schol. in Hom. Σ 501 + Ψ 486 (cf. Apoll. S. 93, 21), sub finem autem: λέγει δὲ νῦν ἐπιμελητήν, κατάσκοπον. — Sch. III 52 (ἠθεῖαι) cf. Apoll. S. 82, 31. — Sch. I 436 (ϑηεῖσθαι) cf. Apoll. S. 87, 31. — Sch. III 876 (λιαροῖσι) cf. Apoll. S. 107, 21.

Quid autem in animo habuerit interpres ille, qui haec adnotabat, hoc optime cognoscitur collatis nonnullis aliis scholiis, ubi poeta propter usum verborum vituperatur, qui loci item plerumque ad interpretationem Homericam spectare videntur: sch. I 27 ἀοι-

δάων δὲ ἐνοπῇ τῇ τῶν ᾠδῶν εὐρυθμίᾳ. οὐκ εὖ δέ. ἡ γὰρ ἐνοπὴ καὶ ἐπὶ θορύβου τίθεται (cf. Eustath. in Il. com. 370, 24 ad Γ 3). — Sch. I 783 ἐπεκλονέοντο· οὐ καλῶς τὸ ἐπεκλονέοντο εἴρηκεν ἅμα τῇ χαρᾷ. κλόνος γὰρ ἡ ταραχή. Ὅμηρος „ὡς ὑπὸ Τυδεΐδῃ πυκιναὶ κλονέοντο φάλαγγες" (E 93 cf. Apoll. S. 100, 29). — Sch. I 834 d. v. ἴσκεν cf. Apoll S. 92, 35 (contra sch. III 395 τὸ δὲ ἴσκεν Ὁμηρικῶς). — Sch. I 883 κινυρόμενοι. Alia glossa iam supra allata e lexico illo Homerico petita exstat ad v. I 282 (cf. supra 46). — Sch. I 695 ληίδα. — Sch. I 674 μόλις; cf. étym. m. 591, 1. — Sch. II 1143 ναῖεν. — Sch. III 971 ὁμάδησαν. Sch. III 1169 οἴοθεν οἶος. Cf. Apoll. S. 119, 6. — Sch. III 752 πόθος. — Sch. IV 471 προδόμῳ. — Sch. III 400 ὑποβλήδην. Idem ut videtur interpres saepius Apollonium propter usum adverbiorum loci temporisque reprehendit: sch. I 1355: οὐχ ὑγιῶς δὲ τέθεικεν τὸ αὐτόθι· δηλωτικὸν γάρ ἐστι τοῦ παρόντος τόπου, ἴσον τῷ „αὖθι μένειν, μή πως ἀβροτάζομεν ἀλλήλοιιν" (K 65). ἔδει δὲ εἰπεῖν τὸν ἀφεστῶτα τόπον, ὡς τὸ „ὅθι ποιμένα ποιμὴν ἠπύει" (κ 82). — Sch. III 255 ἔκτοθι. — Sch. I 242 πόθι. — Sch. III 261 τήλοθι. — Sch. III 257 ὑψοῦ. — Sch. I 919 προτέρω. — Sch. III 807 τόφρα (cf. Apoll. S. 154, 5).

Maximo autem crimini poetae dat quod in usu pronominum personalium ab usu Homerico, quem Aristarchus ad certam normam derigere studebat, saepissime discessit, quae vitia permultis locis vehementissime reprehendit. Cf. e. g. sch. I 872 (οὐχ ὑγιῶς τὸ σφέα κεῖται...); I 893; I 1042; 1286; 1325; II 8; 128; III 140; 186; 796; 1065 et multa alia scholia. Ceterum conferas quae Rzachius de hac re disputavit (Studien zu Apollonius Rhodius; Wiener Sitzungsber. vol. 89, 1878 p. 532—48), qui demonstrat Apollonium contra Aristarchum in usu pronominum saepius cum Zenodoto consentire (cf. Merkel. Prolegg. p. 80 ss.; Gerhard lect. Apoll. p. 93 s.).

Sed non semper poeta propter usum verborum ab Homero discedentem in hunc modum reprehenditur: nonnunquam etiam alium interpretem sentire nobis videmur, vitia, quae alter vituperaverat, excusare studentem: sch. I 625 ἐπακτῆρες ἀντὶ τοῦ ἁλιεῖς. ἐπὶ νήσου κυνηγοὺς οὐ δεῖ λέγειν, quae spectare videntur ad Apoll. S. 70, 23 (= sch. P 135) ἐπακτῆρες θηρευταὶ οἱ τοὺς κύνας ἐπάγοντες· ταῖς τῶν θηρίων κοίταις. Sch. II 1075 ἐπημοι-

βοί (sic!) γὰρ οὐχ οἱ ἀμείβοντες, ἀλλ' ἐπηλλαγμένοι τὴν σύνθεσιν. Cf. Apoll. S. 71, 27; schol. M 456; lex. Bachm. 228, 21. Scholium e lexico Homerico vel e scholiis Homericis sumptum esse lemmate ἐπημοιβοί apparet, nam apud Apollonium Rh. haec sunt: ἄλλῳ δ' ἔμπεδον ἄλλος ὁμῶς ἐπαμοιβὸς ἄρηρεν. — Sch. III 564 μεμαὼς] ἀντὶ τοῦ ὀργιζόμενος νῦν. οὐ γὰρ ἐπὶ κακοῖς τις πρόθυμός ἐστιν. Cf. etym. m. 578, 21 = Cram. An. O. I 273, 4. — Sch. III 107 παραβλήδην ἀντὶ τοῦ παραβάλλουσα τοῖς εἰρημένοις. οὐ γὰρ ἀκουστέον ἐπὶ τοῦ ἀπατᾶν . . . Cf. Apoll. S. 128, 5; lex. Bachm. 328, 22. — Restat schol. II 557, ubi item alterius sententia refutatur, sed ad Homeri interpretationem non spectat, cum apud Hom. vox omnino desit: θελήμονα πρόθυμον καὶ ἐπιτεταμένην. οὐ γὰρ τὸν ἡσύχιον ἐνταῦθα σημαίνει. Cf. etym. m. 318, 42.

Quod consilium poetae excusandi clarissimum fit scholio III 807 πάσαιτο· τὸ δὲ πάσαιτο ὑγιῶς. οὐ γὰρ εἰς κόρον ἡ τούτου μετάληψις, quod scholium esset inane, nisi alter aliquis contendisset de satiando hanc vocem usurpari. Atque re vera fuisse, qui hoc contenderent, etiam nunc cognoscere possumus (cf. Athen. I 23 e. ss. = Eustath. 1178, 16 et schol. Didym. in Homeri v. I 222), nam cum Aristarchus apud Homerum v. πάσασθαι tantum de gustando (γεύσασθαι) non de satiando usurpari statuat, apud inferiores poetas, τοὺς νεωτέρους, velut Callimachum Eratosthenemque etiam de expletione adhibetur. Similem in modum propter usum v. ἄνυσις poeta laudatur, ubi quidem adversarii sententiam cognoscere nondum potui: schol. II 310 (cf. sch. I 413) ἄνυσιν δέ· ἀστείως καὶ κυρίως ταύτῃ τῇ λέξει ἐχρήσατο. ἀνυσθῆναι γὰρ κυρίως τὸ μετὰ καμάτου τι ποιῆσαι, ὡς καὶ μέχρι νῦν φαμεν.

Quibus scholiis singularum vocum usum laudantibus iam ad aliam scholiorum classem traducimur, scholia exegetica et rhetorica, quorum auctor non tam in singula vocabula quam in sententias poetae inquirit: cur hoc vel illud fecerit poeta, cur ita neque aliter personae, quas inducat, egerint, et similia. Cf. e. g. sch. I 103 τὴν δὲ αἰτίαν ἐνταῦθά φησιν ὁ Ἀπολλώνιος τοῦ μὴ συμπλεῦσαι αὐτούς (sc. Theseum et Pirithoum); sch. I 266; 313; 547 (διὰ τούτου ἐβεβαιώσατο . . .); sch. I 620 (cur Hypsipyle una ex mulieribus Lemniis patrem servaverit); sch. I 633; 842; 1065; 1068; sch. II 635 (βούλεται δὲ λέγειν); sch. IV 247 (ἐκ τούτου βούλεται δηλῶσαι . . .) et multa alia; vel formae dicendi, σχήματα,

explicantur ut in sch. Π 1090 (πεῦσις καὶ ἀπόκρισις· εἶτα ὥσπερ ἐμπνευσθεὶς ἐπιφέρει . . .); sch. IV 557 (μετὰ τὴν πεῦσιν ἐμπνευσθεὶς ἐντεῦθεν ἄρχεται τοῦ διηγήματος); sch. IV 1381. Eidem interpreti fortasse magna pars scholiorum iam supra (p. 42 s.) allatorum attribuenda est, in quibus item res est de figuris formisque elocutionis. Ceterum hoc genus scholiorum, poetae κρίσις, quorum similem copiam praecipue Euripidis Oresti Hippolyto Medeae, maxime autem tragoediis Sophoclis adscriptam invenies, cum scriptis illis rhetoricis, quae a Caecilio et Dionysio Halicarnassensi initium capiunt et quorum praeclarissimum exemplum libellum περὶ ὕψους exstat, artissime cohaeret, ita ut eadem exempla redire videamus: cf. sch. I 485 cum libelli περὶ ὕψους p. 33 sqq. (ed. V.). Praeter alia hic interpres Apollonii artem poetae diligenter observavit neque omisit permultis locis copiose adnotare, quam apte poeta mores naturamque singulorum hominum descripserit, quam bene eorum verba et facta ad mores, condiciones, tempora accommodare didicerit, quam ingeniose verba, figuras, imagines, comparationes posuerit. Sed nonnulla exempla horum scholiorum rem melius explicabunt; ut schol. in v. I 249: Iasonem eiusque comites ex oppido ad navem egredientes magnus civium numerus comitatur. Atque cum viri heroum viribus et fortitudine freti eos aureum vellus adepturos esse confidant, mulieres multa cum lamentatione deos invocantes, ut integri redeant, rogant obsecrantque (v. I 238—250). Ad quos versus in scholiis adnotatur: καὶ τοῦτο ὡς πρὸς γυναικείαν φύσιν. ἄγαν θαυμαστῶς πρὸς τὰς φύσεις καὶ τοὺς λόγους ἀμφοτέροις ἀνέπλασεν. τοῖς μὲν γὰρ ἀνδράσιν ἐπεὶ θρασυτέρα ἡ φύσις, ἄνυσιν καὶ τέλος τῶν μελλόντων εἰσάγει, ταῖς δὲ γυναιξίν, ἐπεὶ ἀσθενέστεραι, εὐχὰς καὶ ἱκεσίας ποιεῖ. τοιαῦται γὰρ ἐπὶ μεγάλων καὶ φοβερῶν πραγμάτων αἱ γυναῖκες. Conferas praeterea sch. I 468 de Ida Iasonem obiurgante: διὰ τούτων δὲ αὐτοῦ ἡ ὑπερηφανία δηλοῦται. καὶ Ὅμηρος δὲ ἀσεβῆ αὐτὸν λέγει. „καί ῥα ἄνακτος ἐναντίον εἵλετο τόξον“ ⟨I 559⟩; sch. I 475, cum Idmon, non ipse Iason, respondeat: οἰκείως δὲ τὸν Ἴδμονα ὡς μάντιν ὄντα ποιεῖ ἐναντιούμενον τῷ Ἴδᾳ ἐχθρῷ ὄντι Ἀπόλλωνι; sch. I 485, cum Idas cachinnum sustulerit: καὶ τοῦτο κουφότητος σημεῖον. εἴγε καὶ Ἰσοκράτης φησί „μήτε γέλωτα προπετῆ στέργε.“ Schol. I 700; I 711; I 721: ἀστείως δὲ οὐ πολεμικῇ σκευῇ χρώμενον εἰσάγει, ἀλλ' ἐσθῆτι κοσ-

μούμενον, πρῶτον μὲν ὅτι ἀπόλεμον αὐτὸν ἐκάλει, ἔπειτα ὅτι καὶ γυναικῶν μόνων ἡ πόλις, αἳ μάλιστα τοῖς τοιούτοις χαίρουσι. καὶ Μένανδρος „εὐκαταφρόνητος τῇ στολῇ εἴσειμι καὶ ταῦτ' εἰς γυναῖκας"; schol. I 732; 737; 754; 761 (p. 346, 17 sqq.); sch. I 789: 794; 807; 811; 813; 820; 824; 855; 867; 869; 870; 885 (= sch. I 248); et permulta similia per totum carmen dispersa. Praeter alia digna sunt, quae notentur, sch. I 865 de Hercule Argonautas obiurgante, quod tam diu apud Lemnias mulieres morati sint, τεχνικῶς δὲ καὶ συνετῶς οὐχ ἕνα τινὰ λοιδορεῖ ἀλλὰ τοὺς πάντας, καὶ οὐ πρῶτον τὴν ἀκρασίαν ὀνειδίζει, πρὶν τὰ συμφέροντα δηλώσῃ. παρὰ δὲ τοῖς φυσικοῖς ὁ Ἡρακλῆς σύνεσις καὶ ἀλκὴ λαμβάνεται; et simile schol. I 1141 de Rheae natura: διὰ τούτου οὐδὲν ἕτερον ὁ ποιητής φησιν ἢ τὴν τῆς θεοῦ φύσιν. καὶ γὰρ τοῖς φυσικοῖς, φησί, δοκεῖ τὴν αὐτὴν εἶναι τῇ γῇ. Schol. I 554 εἰκότως δὲ παρεισήνεγκεν εἰκόνα τοῦ Χείρωνος, καὶ ὅτι φιλάνθρωπος, δικαιότατος δὲ Κενταύρων, καὶ διὰ τὴν οἰκειότητα τὴν εἰς τὸν Ἰάσονα. παρ' αὐτοῦ γὰρ ἔμαθε τὴν ἰατρικήν. ὅθεν καὶ Ἰάσων ἐκλήθη παρὰ τὴν ἴασιν, quam partem scholii non ab eodem auctore a quo initium, ubi de Chironis ortu docte disputatur, ascriptam esse apparet. Quibus praesertim scholiis spectatis non dubito eidem interpreti etiam nonnullos alios locos vindicare, quamquam non tam propter artem rhetoricam quam propter cognitionem morum rerumque sacrarum poeta laudatur: Schol. I 407 εἰκότως ἐπὶ δυσὶ προσηγορίαις, Ἀκτίου Ἐμβασίου τε, δύο βοῦς ἄγουσιν. Sch. I 408: ἐπεὶ ἴσως ἀεὶ νέος ὁ θεός, καὶ οἱ τῶν ἑταίρων νεώτεροι τὴν θυσίαν ἐπιτελοῦσιν κ. τ. λ. (Homeri testimonium, v. A 470, affertur). In scholiis ad v. I 496 et 498 quomodo explicandi ratio, qua hic interpres utitur, ab alterius differat optime videmus: nam cum alter Orphei cantum ut aptum temporibus laudet, alter ad v. 498 de mundi principiis magnam doctrinae molem testimoniis Empedoclis, Thaletis, Zenonis, Anaxagorae, Euripidis allatis congessit et de auctore, quem Apollonius secutus sit, verba facit. Schol. I 526 πιθανῶς ἐκ τῆς Δωδωνίδος φησὶ δρυὸς τὸ ξύλον εἶναι ἐν τῇ Ἀργοῖ τὸ φωνῆεν κ. τ. λ. (affertur Homeri v. ξ 327). Eiusdem auctoris est schol. in v. I 517 de usu linguas hostiarum Mercurio sacrificandi: ὅτι ἔθος ἦν τοῖς παλαιοῖς κρατῆρα κιρνᾶν, ὅτε μέλλοιεν καθεύδειν, καὶ τὰς γλώσσας τῶν ἱερείων ἐπιθύειν τῷ Ἑρμῇ καὶ ἐπισπένδειν οἶνον. καὶ ἴσως φυσικῶς. ἐπεὶ γὰρ

Ἑρμῆς λόγος εἶναι παραδέδοται, ὄργανον δὲ αὐτοῦ ἡ γλῶσσα, ἥτις ὕπνου ἐπιπεσόντος ἠρεμεῖ, εἰκότως τῷ Ἑρμῇ αὐτὴν θύουσιν. καὶ Ὅμηρος „γλώσσας δ' ἐν πυρὶ βάλλον" (γ 341). Simillima sunt scholia in Od. v. γ 332, 344 et Athen. I 16 b. Etiam hoc loco duorum interpretum vestigia cognoscere possumus, nam plane alius indolis sunt quae de eodem usu inde a p. 380, 34 adnotantur, ubi αἴτιον usus secundum Dieuchidam narratur [1]). Laudatoris vestigia praeterea invenies in schol. I 1124 εἰκότως· ἡ γὰρ δρῦς ἱερὰ τῆς Ῥέας, ὥς φησιν Ἀπολλόδωρος ἐν τρίτῳ περὶ θεῶν; quae sequuntur, rursus ad alium interpretem spectare videntur [2]): δρυΐνους δὲ αὐτούς φησι στέφεσθαι διὰ τὸ μεμερίσθαι τῇ θεῷ τὸ δένδρον τοῦτο διὰ τὸ καὶ πρὸς στέγας καὶ πρὸς τροφὴν πρῶτον χρησιμεῦσαι [3]). In sch. II 215 (κυρίως δὲ πρὸς τὰ ὑποκείμενα οὐ Ξενίου Δίος, ἀλλ' Ἱκεσίου μέμνηται...); sch. II 216; II 286; sch. III 847: νυχίαν δὲ εἶπεν (sc. Δαῖραν vel Περσεφόνην) ἤτοι διὰ τὸ χθονίων βασιλεύειν — νύκτα γὰρ τὸν ἀφώτιστον τόπον φασί — ἢ ἣν νυκτὸς οὔσης ἱλάσκονται. εὔλογον γὰρ τὴν τῶν νυχίων τόπων κρατοῦσαν κατὰ τὴν τῆς νυκτὸς ὥραν ἱλάσκεσθαι. Contra initium scholii et quae sequuntur inde a p. 469, 33 de nomine Δαῖρα, ubi Timosthenis et Aeschyli testimonia afferuntur, ad vetustiorem scholiorum partem pertinent.

Eiusdem grammatici nonnulla alia scholia similis indolis esse puto, in quibus poeta non quidem laudatur, sed singulae tantum res moresve, quos tetigit, aliunde confirmantur: ut schol. I 288 λύουσι γὰρ τὰς ζώνας αἱ πρώτως τίκτουσαι καὶ ἀνατιθέασιν Ἀρτέμιδι, ὅθεν καὶ Λυσιζώνης Ἀρτέμιδος ἱερὸν ἐν Ἀθήναις (cf. Suid. et Hesych.); sch. I 324: σύνηθες τοῖς ἥρωσι δέρματα φορεῖν;

1) Neuter igitur interpres, quod Merkelius in editione recepit, κερασσάμενοι Διὶ λοιβάς (pro δὴ) legisse videtur, cum alter Mercurio linguas sacrificari dicat, alter omnibus dis, quocum optime convenit quod Gerhardus (lect. Ap. p. 75) pro ἐστὶ τέως coniecerat: ἐστὶ θεοῖς. Athenaeus quidem tradit l. l. etiam Διὶ τελείῳ posterioribus temporibus esse libatum.

2) Cf. Münzel, de Apollod. περὶ θεῶν libris diss. Bonn. 83 sent. contr. XVII; sed potest res etiam ita se habere, ut idem scholium bis variis modis excerptum sit.

3) Adhibuit autem, ut videtur, laudator poetae in versibus eius explicandis Apollodori περὶ θεῶν libros; fortasse igitur etiam alia, quae profert de rebus sacris, ad eundem auctorem referri possunt.

sch. I 544; sch. I 587 de sacrorum, quae superis quaeque inferis offeruntur, ritu (simillimum est schol. in Hom. A 459); sch. I 1131; sch. II 159 δάφνῃ ἐστέψαντο δι' Ἀπόλλωνα. ἐχρῶντο δὲ τῇ στέψει τριχῶς et quae seq. (Cf. supra p. 17); sch. II 1273 (?); sch. IV 808 ὅτι τὸ παλαιὸν τὰς μητέρας τῶν γαμούντων ἐν τοῖς γάμοις δᾳδουχεῖν ἔθος ἦν καὶ Εὐριπίδης ἐν Φοινίσσαις φησίν „(343 ss.)" (cf. schol. in h. l.); sch. IV 1284 (?); sch. IV 1733: τὸν Ἑρμῆν φησιν ἐξιλάσασθαι τὸν Εὔφημον διὰ τὸ θεάσασθαι ὄνειρον· οὗτος γὰρ ἐπὶ τῶν ὀνείρων ὁ θεός· τοὺς γὰρ ὀνείρους Ἑρμῇ ἀνατιθέασιν.

Restant etiam nonnulla scholia rhetorica, quibus παραβολαὶ ab Apollonio adhibitae ut propriae aptaeque laudantur, quaeque propterea eidem interpreti attribuo: ut schol. I 240; I 307 (οἰκεία δὲ ἡ παραβολή); sch. I 781 (διόλου ἁρμόζουσα καὶ οἰκεία ἡ εἰκών); sch. I 1003 (ἡ παραβολὴ πρὸς πάντα ἁρμόδιος καὶ ὑγιής); sch. I 1024; I 1248; I 1270; sch. II 72; II 125.

Non raro cum locos illos, quibus poeta maxime laudatur, inspicimus, sentire aliquo modo nobis videmur hanc laudem hic vel illic opinioni aliorum interpretum non in eundem modum poetam semper admirantium opponi (cf. e. g. sch. II 215, II 286). Ac profecto non raro clarissime admiratorem illum Apollonium contra alterum interpretem, poetae vituperatorem, defendentem videmus, plane ut Wilamowitzius in Rhesi scholiis demonstravit: velut in sch. I 269: ἀκαταλλήλως τὴν παραβολὴν τέθεικεν. ὑποτίθεται γὰρ γραῦν μὲν τὸν Ἰάσονα, κόρην δὲ τὴν μητέρα. ἔδει δέ φασι κατὰ τὸ ἐναντίον ταῦτα τάξαι. ἀλλ' ἐροῦμεν, ὅτι προσφόρως ἐπίκειται ὁ Ἰάσων οὐ κατὰ τὴν ἡλικίαν ἀλλὰ κατὰ τὴν γηροκομίαν τῇ μητρὶ et quae seq., unde id certe discimus laudatorem poetae, vituperatore posteriorem, commentariis eius usum esse. Eodem modo ad v. I 882 parabole, quae exstat in vv. I 875—887, ab altero interprete reprehenditur (ἡ δὲ παραβολὴ οὐχ ὑγιῶς οὐδὲ εἰς πάντα ἁρμόζεται), ab altero defenditur[1]).

Gravissimum autem est schol. in v. II 259: κατηγοροῦσί τινες τοῦ Ἀπολλωνίου ὡς οὐκ εὖ τὸν ὅρκον τοῦτον εἰσαγηοχότος. ὀμνύει γὰρ καθ' ὧν κινδυνεῦσαι οὐ δύναται. ῥητέον δὲ ὅτι ἐμπαθέστερος

1) Defensio in cod. Laur. et Par. omissa in scholiis Flor. servata est.

γίνεται ὁ ὅρκος, ὅταν τις κατὰ τῆς ἰδίας ὀμνύῃ συμφορᾶς „οὐ μὰ Ζῆν' Ἀγέλαε, καὶ ἄλγεα πατρὸς ἐμοῖο" (Hom. υ 339), καὶ Δημοσθένης „μὰ τοὺς ἐν Μαραθῶνι προκινδυνεύσαντας καὶ τοὺς ἐν Πλαταιαῖς παραταξαμένους" (pr. cor. p. 297). ἔθος οὖν ἀρχαῖον πρῶτον θεοὺς ὀμνύναι, εἶτα ἐπάγειν καὶ τὰς ἰδίας συμφοράς. (Similia in Bschol. ad A 234. Cf. περὶ ὕψους p. 32 ss. supra p. 66). Itemque in rebus fabularibus nonnumquam duos illos grammaticos inter se contendentes cognoscimus: ut in sch. IV 553 Apollonius propterea, quod ante Vlixis aetatem Italiae Ausoniae nomen indiderit, vituperatur et defenditur; praecipue in sch. I 761, ubi de Tityo, qui bis et ab Elara et a Terra natus esse dicitur, duplex scholium traditur, prius p. 345, 34—346, 5, quo mythographorum sententiae afferuntur quodque Theonis esse videtur, deinde alterum: ἄλλως· Ἐλάρη μήτηρ Τιτυοῦ, ὃν κύουσα ἐκ Διὸς καὶ ἀδυνατοῦσα γεννῆσαι διὰ τὸ μέγεθος τοῦ παιδὸς ἀπώλετο. δοκεῖ δὲ ἡ ἱστορία ἀπίθανος εἶναι καὶ ἄπιστος, ὅτι ἐκ δευτέρου ἡ Γῆ ἐγέννησε τὸν Τιτυόν, ἀλλ' ἐροῦμεν, ὅτι οἱ ποιηταὶ τοὺς τερατώδεις κατὰ τὸ σῶμα γῆς εἶναί φασιν. οὕτω γὰρ Καλλίμαχος τὰ δεινὰ τῶν θηρίων γῆς εἶναι ἔφη. ὅτι δὲ μέγας ὁ Τιτυὸς καὶ Ὅμηρός φησιν „ὁ δ' ἐπ' ἐννέα κεῖτο πέλεθρα" (λ 577). φαμὲν οὖν ὅτι, ὅτε πρὸς Ἐλάρης ἐτέχθη, ἐδόκει αὐτῆς εἶναι διὰ τὸ βραχὺ τοῦ σώματος, ὡς δὲ αὐξηθεὶς τερατώδης ἐγένετο, ἔπλασαν καὶ τεχθῆναι αὐτὸν καὶ τετράφθαι πρὸς τῆς γῆς. Quae ad poetam excusandum proferuntur, optime conveniunt cum sch. I 865, 1141, 517, 554, ubi iam idem studium laudatoris poetae ad res fabulares sacrasve pro ratione humana naturalem in modum explanandas observare poteramus. Fortasse etiam in schol. II 1248 accusatorem deprehendere possumus, ubi sub finem haec verba exstant: εἰκότως Ἀπολλώνιος περὶ Καυκάσου γενόμενος καὶ τούτων ἐμνήσθη, quae verba haud scio an indicent eum, qui ita scripserit, alterum refutare voluisse, qui poetam reprehendisset, quod Argonautas aquilam Promethei iecur cottidie laniantem in aere volantem vidisse finxisset. Huc etiam illa scholia refero, in quibus formula illa ex scholiis Homericis notissima ζητεῖται δὲ vel sim. adhibetur: sch. I 23: primum p. 304, 12—16 de Orpheo varia testimonia proferuntur (Herodori, Pherecydis, Asclepiadis, aliorum), quod Theonis schol. esse apparet, deinde ab alio grammatico pergitur: ζητεῖται δὲ διὰ τί Ὀρφεὺς ἀσθενὴς ὢν συνέπλει τοῖς ἥρωσιν. ὅτι μάντις ὢν ὁ Χείρων ἔχρησεν

δύνασθαι κατὰ τὰς Σειρῆνας παρελθεῖν αὐτοὺς Ὀρφέως συμπλέοντος. Vides igitur alius sententiam impugnari, qui poetam vituperaverat, quod Orpheum cantorem ideoque hominem infirmum atque imbellem una cum Argonautis profectum esse finxisset. Simile est sch. I 763 ubi de pallio Iasonis agitur: ζητητέον δὲ τί βούλεται αὐτῷ ταῦτα τὰ ποικίλματα. καὶ ἐροῦμεν ὅτι ὁ ποιητὴς διὰ τῆς χλαμύδος οὐδὲν ἕτερον ἢ τὴν κοσμικὴν τάξιν καὶ τὰς πράξεις φησί... (!); et schol. III 1 (p. 450, 1) ζητεῖται δὲ μάλιστα πῶς ἐπικέκληται τὰς Μούσας, ἐν τῷ α̅ Ἀπόλλωνα ἐπικαλεσάμενος... Laudatoris vestigia videmus p. 447, 16—19 εὐλόγως οὖν Ἀπολλώνιος μεμοιρᾶσθαι τὴν Ἐρατὼ φησι τῶν τῆς Ἀφροδίτης ὀργίων, λέγω δὴ τῶν γαμικῶν. γάμοις δὲ ἄρα καὶ ὄρχησις ἕπεται. Doctrina illa mythographa, quae de Musis profertur p. 449, 19—27 et p. 450, 7 ss., certe a Theone primitus ascripta est. Postremo autem grammaticus, qui Theonem, vituperatorem, laudatorem ante oculos habuit (Sophocles?), omnium horum interpretum sententias in quaestionem illam (p. 450, 1 ss.) coniunxit.

Ut permultis locis laudatoris scholia tradi, ubi vituperatoris vestigia nulla exstarent, supra vidimus, ita nonnumquam etiam vituperatorem deprehendimus, ubi laudator ei non occurrit. Quae res aut eo explicari potest, quod in scholiis nobis traditis alterius sententia excidit, aut eo, quod laudator non omnibus locis, quibus poeta reprehendebatur, vituperatori adversatus est, ille autem, qui nostrum scholiorum corpus confecit, utriusque commentariis, et laudatoris et vituperatoris, usus est: velut sch. I 1207: ἀπρεπὲς δὲ νεανίαν ὑδρίαν βαστάζειν. Ὅμηρος δὲ πρεπόντως παρθένον. πιθανώτερον δὲ ἦν ἀμφορέα εἰπεῖν ὡς Καλλίμαχος; sch. III 865; sch. IV 131 ὑπερβολῇ κέχρηται περὶ ποσότητα, εἴ γέ φησι τὴν τοῦ δράκοντος φωνὴν τοῖς μὲν μακρὰν οὖσι τῶν Κόλχων ἀκούεσθαι, αὐτοῖς δὲ μή = sch. IV 143; sch. IV 847. Praeter alia vituperator ille ad res astronomicas a poeta tactas animum attendisse videtur, velut in schol. III 225: ὁ Ἀπολλώνιος κατὰ τὴν Πλειάδων δύσιν λέγων τὴν κρήνην θερμὸν ῥεῖν, κατὰ δὲ τὴν ἀνατολὴν ψυχρόν, οὐ παρέστησεν εἰλικρινῶς τὸν καιρόν. δύο γάρ εἰσιν ἀνατολαὶ τῶν ἀπλανῶν ἄστρων καὶ δύο δύσεις... usque ad v. 457, 33. Ex eodem ut videtur fonte, quo Apollonii interpres usus est, etiam exscripta sunt quae exstant in Achillis Isagog. excerpt.

p. 74, 38 (ed. Maas.): ὅτι δύσεις διτταὶ καὶ ἀνατολαί. Schol. III 1377 ubi ad Apollonii verba: οἷος οὐρανόθεν πυρόεις ἀποπάλλεται ἀστὴρ ... τοῖος ἄρ Αἴσονος υἱὸς ἐπέσσυτο γηγενέεσσιν a vituperatore haec adnotantur: ἀπίθανον δὲ τῷ τοιούτῳ ἀστέρι παραβαλεῖν τὸν Ἰάσονα πρὸς ἐπικίνδυνον ἆθλον πορευόμενον, τῷ ἅμα τῷ φανῆναι εὐθέως σβεννυμένῳ. εἰ δέ τις λέγοι τῷ Πυρόεντι αὐτὸν ὡμοιωκέναι περὶ οὗ Ἐπιγένης ... ὁ δὲ Πυρόεις δυσκίνητος [1]). Dubitaverant igitur grammatici, quos vituperator sequitur, de voce πυρόεις utrum adiectivum sit an nomen proprium, i. e. nomen planetae, qui Martis vel Herculis vocabatur. (Cf. schol. in Arat. et Achillis isagog. excerpt. p. 43). Schol. III 1191: οὐκ ὀρθῶς δὲ εἴρηται ὑπὲρ ἄκριας Αἰθιόπων τὸν ἥλιον δύνειν ... [2]).

Interdum etiam fabulae ab Apollonio allatae ut falsae reprehenduntur; velut, ubi Iaso Medeae, ut se adiuvet, persuadere conatur Ariadnes exemplum proponens, in cuius honorem, cum Theseum servaverit, corona a dis inter astra posita sit, haec adnotantur: ὧν οὐδέτερον ἀληθές. καταλέλειπται γὰρ ὑπὸ Θησέως ἐν Νάξῳ· διαπεπαρθένευται δὲ ὑπὸ Διονύσου κατά τινας ... ὅτι δὲ οὔτε Μίνως συνεχώρησεν τὸν γάμον Ἀριάδνης οὔτε ἤγαγεν αὐτὴν εἰς Ἀθήνας Θησεὺς Ὅμηρός φησι ῥητῶς (λ 321) ... ὅτι δὲ ὁ στέφανος ὑπὸ Διονύσου κατεστήρικται Ἄρατός φησιν ... (Phaen. 71), quae optime quadrant cum scholiis ad res astronomicas spectantibus, quae modo attulimus. Eundem praeterea vituperatorem cognoscere nobis videmur in schol. III 233: πέπλασται ὁ μῦθος διὰ τὴν τοῦ θεοῦ τῶν ποδῶν χωλότητα. οὐ μέντοι πιθανῶς· et qu. seq., schol. III 859: ἰδίως δὲ ὁ ποιητὴς τερατεύεται τὰ περὶ τὴν ῥίζαν. παρ' οὐδενὶ γὰρ τῶν ῥιζοτόμων εἴρηται.

Videmus igitur vituperatorem illum, quae non ex historia poeta sumpserit, eo consilio observasse, ut, quae male ficta esse existimaret, reprehenderet. Quae considerantibus, cum comparato scholio in v. I 1040, ubi nomina Dolionum ab Argonautis occisorum enumerantur, verbis Τηλεκλῆα ἠδὲ Μεγαβρόντην haec ascripta invenimus: πέπλακε τὰ ὀνόματα ταῦτα Ἀπολλώνιος, οὐκ ἀπὸ

---

1) Verba non integra esse videntur.

2) De rebus caelestibus praeterea agitur in sch. II 1098 (de Arcturi ortu imbres adducente); sch. II 498 p. 418, 6 ss. (de etesiis ventis) sch. III 1029, sed vituperationis vestigia nunc quidem non exstant, qua de causa, num ab eodem auctore adscripta sint, dubitari potest.

ἱστορίας ἔλαβεν. οὕτω Ταῤῥαῖος, opinari fortasse licet ad eundem Lucillum non solum hoc unum scholium sed etiam cetera, in quibus res a poeta fictae ei crimini dantur, redire, praeterea etiam scholia illa astronomica, cum his artissime cohaerentia, omnia denique scholia, in quibus consilium poetae reprehendendi cognoscere nobis videbamur. Quod si recte opinati sumus, laudatorem illum poetae post Lucillum scripsisse necesse est, neque igitur quisquam nisi aut Irenaeus aut Sophocles scholiorum illorum auctor esse potest. Ac si ex his duobus alterum eligere licet, Irenaeum fuisse laudatorem poetae iudicem, primum propter doctrinam sane non contemnendam, qua scholia laudatoris saepius exornata sunt, deinde autem quod Sophoclem commentario Irenaei diligenter usum esse probabile est. Quae sententia paululum fortasse confirmatur testimoniis scriptorum in scholiis illis rhetoricis allatorum, nam praeter Homerum (et Callimachum? I 1162) etiam Demosthenes (sch. II 259), Isocrates (sch. I 485), Menander (sch. I 721), Euripides (sch. II 235 et 253) memorantur, quod optime in Irenaeum cadere videtur, quippe qui de dialecto Attica complures libros composuerit.

Restat ut hic pauca alia scholia subiungam, quibus observatur, quomodo sententias figurasque Apollonius ab aliis poetis petitas in suo carmine imitatus sit. De imitatione Homerica his locis adnotatur: sch. I 184 παρὰ δὲ τὸ Ὁμηρικόν „αἱ δ' ὅτε δὴ σκιρτῷεν ἐπὶ ζείδωρον ἄρουραν“ (Υ 226) καὶ τὰ ἑξῆς. Sch. I 262; 296; 297; 303; 304; 468; 650; 669; 851; 870; 1026; 1027; 1062; 1334; II 123: 257; 260; 541; 631; 1282; III 53; 291; 453; 876; 1020. De Callimachi imitatione res est in sch. I 1039 (Καλλιμάχου ὁ στίχος)[1]. Conferas praeterea sch. I 726: καί ἐστι παρὰ τὸ Σαπφικόν „παντοδαπαῖς μεμιγμένα χροιαῖσιν“. Sch. I 881 παρὰ τὸ Ἰσοκράτους „ὥσπερ γὰρ τὴν μέλισσαν ὁρῶμεν ἐφ' ἅπαντα μὲν τὰ βλαστήματα καθιζάνουσαν, ἀφ' ἑκάστου δὲ τὰ χρήσιμα συλλέγουσαν, οὕτω δὲ καὶ τῆς παιδείας“.

Sed cum iam remotis ruderibus, ut ita dicam, paraphraseos glossarumque ac perquisitis eis scholiis, quibus interpretes Apollonii inter se adversantes cognoscere poteramus, in quaerendo hic

1) Callimachi versus, quem Apollonium imitatum esse apparet, affertur etiam in sch. ad v. I 996 (hymn. in Dian. 107).

subsisto, hoc non facio, quod quaestionem perfectam esse credam: immo, restat quaestio omnium gravissima de scholiis illis ad mythographiam geographiamque spectantibus et de Theone grammatico. Quam quidem amplissimam ac difficillimam quaestionem, cum ad finem perducere nondum potuerim, quod valde aegre fero, in aliud tempus differe mihi liceat, quamquam quae supra proposui, minime sic perfecta esse non ignoro.

Vita.

Natus sum Ludovicus Henricus Wilhelmus Deicke anno 1877 mensis Jun. d. 30. patre Hermanno matre Julia e gente Weinberg Cellis in oppido Hannoverano. Elementis imbutus inde a vere anni 1886 gymnasii regii Cellensis discipulus fui per 6 annos, ex quibus unum propter valetudinis imbecillitatem scholas obire non poteram. Anno autem 1892, cum pater Muelhemium, in oppidum in Rura fluvio situm, esset vocatus, eo una cum parentibus transmigravi ibique gymnasium urbanum frequentavi, donec pater cum omnium nostrum maximo gaudio post duos annos et dimidium in patriam provinciam revocatus Gottingam migravit. In gymnasio regio Gottingensi etiam anno et dimidio peracto disciplina Caroli Hentze et Antonii Viertel aliorumque egregiorum virorum institutus inde a vere anni 1896 usque ad autumnum anni 1900 in hac academia studio litterarum Graecarum, Latinarum, Germanarum operam dedi excepta anni 1897 aestate in universitate Monacensi peracta. Quae ac quanta per omnes hos annos viris illis doctissimis, quorum scholis, exercitationibus, seminariis ut interessem mihi erat concessum, debuerim, non est hic locus, ut exponam. Verumtamen facere non possum, quin paucorum quidem nomina, quibus maximae per totam vitam gratiae habendae sunt quique in hoc opusculo conficiendo egregie me adiuverunt, pio gratoque animo afferam: Leonis, qui inde ab initio humanissime in studiis meis me duxit atque sustentavit, cuiusque erga me itemque Kaibelii benevolentiae debeo, quod

brevi Urbem, cuius omnes antiquitatis amatores summo desiderio flagrant, oculis spectabo; Wentzelii, qui consilio et re me benignissime semper adiuvit; Reitzensteinii, cuius liberalitate ut etymologici genuini copiis uterer mihi erat permissum; praecipue Kaibelii, qui praeter alia summa erga me beneficia iam morbo gravi atque periculoso affectus molestias huius opusculi percensendi examinisque rigorosi habendi subiit, quemque Deus omni potens sanum faciat et conservet ex intimo animo opto.